DE

POLYBII FONTIBUS RHODIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANN ULLRICH

CYGNEENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVIII

580

CURTIO WACHSMUTH

CONRADO CICHORIUS

S.

I.

De Antisthene et Zenone, rerum Rhodiarum scriptoribus.

---

1. De Antisthene.

Antisthenes Rhodius bis a scriptoribus veteribus commemoratur: uberius a Polybio (XVI 14 sqq.), una cum Zenone item Rhodio; brevius a Laertio Diogene (VI 19), qui, postquam de Antisthene philosopho cynico egit, hisce perrexit: *γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Ἀντισθένεις τρεῖς, Ἡρακλείτειος εἷς, ἕτερος Ἐφέσιος, καὶ Ῥόδιός τις ἱστορικός.* Quibus ex verbis paucissimis cum fere nihil novi lucremur, in Polybianis acquiescendum est.

Ac primum quidem aetas Antisthenis ex Polybio XVI 14, 3 cognoscitur, qui illum hanc praecipue ob causam aptum duxit ad bellum Rhodiorum cum Philippo rege gestum conscribendum, quod eisdem temporibus vixisset. Anno a. Chr. n. 201 igitur Antisthenes aetate adulta fuit praeditus facultate res gestas bene perspiciendi; eum etiam ultra illum annum vita usum esse inde apparet, quod historiam eius aetatis scriptam edidit.

Antisthenem Rhodi in nobilium civium numero fuisse ex Pol. XVI 14, 3 et 14, 8 sqq. dilucet, cum Polybius eum in re publica administranda versatum non mercedis sed laudis gratia historiae componendae operam dedisse dicat. Huc accedit quod Polybius Antisthenem sane urbane et humaniter tractavit[1]),

---

1) Cf. Susemihl, Gesch. d. alexandr. Litt., II 116 adn. 121.

cum alios scriptores saepius acerbissime increparet. Nempe Rhodium nobilem et fortuna bene ornatum vitae condicione sibi parem esse duxit.

Ceterum Antisthenis nomen rarissimum inter Rhodios erat; quamvis enim luculentus thesaurus inscriptionum illius insulae extet nunc optime ab Hillero de Gaertringen congestus, unus tantum Antisthenes invenitur, in titulo quodam (CIRh. 63) Rhodi in urbe reperto. Olim subscriptio fuit statuae nunc deperditae; haec autem sunt verba:

Ἀντισθένης Ἀρχιτίμου ἱερατεύσας Ἁλίῳ
Ἀντισθένης Ἀρχιτίμου ἱερατεύσας Ἁλίῳ
Ὀνασιφῶν Κλειωναίου
Σαλαμίνιος ἐποίησεν.

Versum alterum minoribus litteris manu alia atque ceteros caelatum Loewy[1]) primo solum in lapide fuisse, cum reliqui statua constituta additi essent, contendit. Propter litterarum quandam simplicitatem Hiller (l. l.) titulum initio alterius a. Chr. n. saeculi vix recentiorem esse monuit; nomine statuarii, cum alibi nusquam occurrat[2]), nil ad tempus definiendum proficitur. Antisthenis igitur, Architimi filii, qui sacerdos Solis, magistratus eponymus Rhodiorum fuerat[3]), haec statua erat. Quanquam autem in notis amphorarum, quarum maximus numerus repertus est[4]), nomina eponymorum Rhodiorum inscripta esse solent, tamen nusquam alibi hunc Antisthenem indagare potui.

Duo igitur commemorantur Antisthenes Rhodii, unus apud scriptores, alter in titulo; uterque saeculo altero ineunte vir aetatis maturae erat; uterque nobilis, in re publica gerenda versatus. Quae cum ita sint, ego quidem non duos Anti-

---

1) Inschriften griechischer Bildhauer, p. 165.

2) Cf. Hirschfeld, Tituli statuariorum, n. 68.

3) Recte Foucart, Revue archéol. XIII p. 351, ex participio aoristi hoc collegit; quem Schumacher, De re publica Rhodiorum, p. 61, frustra impugnavit.

4) Cf. CIG. III praef. p. V sqq.; Inschriften von Pergamon, II p. 423 sqq.; Corpus Inscriptt. Graec. It. et Sic. 2393, 1 sqq.; Paris, Elatée, p. 110 sqq.; Pottier-Reinach-Veyries, La nécropole d. Myrine 224 sq.

sthenes diversos fuisse, sed unum eundemque virum probabile censeo.

Iam ad Antisthenis opus transeamus, de quo Polybius unus nobis auctor erit. Ille autem Rhodium in eis scriptoribus numeravit, qui singularum tantum civitatum res exposuissent (XVI 14, 1), cum ipse totius orbis terrarum historiam se complecti gloriaretur (I 4, 6; III 32, 2). De temporis spatio, quod libro Antisthenico continebatur, e verbis *κατὰ μέρος* nil colligi potest, siquidem eis non tempus, sed locus terminis circumscribitur. Pugnas navales ad Chium et Laden commissas (Pol. XVI 14, 5) et proditos a Philippo rege Messenios (XVI 16, 1) Antisthenes descripsit; nil amplius de circuitu libri notum est; itaque neque scimus, ceperitne illa historia initium ab origine Rhodiorum, neque constat quidquam de fine operis. Quare Zellero[1]) non solum de bello Macedonico, sed etiam de tota eius aetatis historia Antisthenem egisse constare contendenti non assentior; quae enim Polybius (XVI 18 sqq.) de pugna ad Panium commissa narrat, non ad Antisthenem, sed ad Zenonem Rhodium solum pertinent.

Praestantiam historiae Antisthenis una cum Zenonis opere Polybius (XVI 14, 2 sq.) laudavit, permagno ex numero scriptorum, qui ea tempora tractassent, illos duos solos ratus dignos esse, qui seorsum deligerentur. In Antisthene nihil vituperavit nisi hoc, quod patriae nimis amans Rhodios proelio ad Laden commisso superiores discessisse affirmasset, cum Philippus victor fuisset. Attamen pugnam ipsam, quomodo gesta esset, ab Antisthene veritati convenienter enarratam esse, unde Rhodios superatos esse facillime cognosceretur, Polybius concessit. At victoriam Philippi ne apud Polybium quidem manifeste expositam fuisse vel inde apparet, quod Livius, qui XXXI 14, 4 easdem res ex Polybio in historiam suam transtulit[2]), non solum apud Chium, sed etiam apud Laden victoriam Philippo abrogavit, Rhodiis attribuit. Neque rex ex victoria ullum fructum cepit (Pol. XVI 10). Litteris a prae-

1) Monatsberichte der Berliner Akademie 1883, p. 1067 sqq.

2) Cf. Nissen, Krit. Unters. über die Quellen der 4. und 5. Dekade des Livius, p. 122.

fecto classis Rhodiae post pugnam Ladensem ad senatum et prytanes Rhodiorum missis Antisthenes non usus est, quandoquidem Polybius eisdem litteris nisus, quas in prytaneo Rhodiorum legerat, suam narrationem veram, Antisthenis falsam esse affirmavit (XVI 15, 8); at providendum est, ne hanc rem omissam nimio vitio Antistheni demus, quoniam perpaucos scriptores rerum veteres tabulis publicis usos esse constat.

Nonnulli viri docti unum vel alterum ex ceteris Antisthenibus eundem esse atque Rhodium demonstrare studuerunt. Sed quo cuiusque voluntas propensior est ad ea, quae adhuc conexu carent, inter se coniungenda, eo magis viros illos eodem nomine praeditos diversos esse tenere oportet, atque eo diligentius argumenta allata examinare decet.

Phlegon Trallianus, Hadriani aequalis, tertio capite libri, qui inscribitur *περὶ θαυμασίων*[1]), miracula quaedam inepta narravit, quae post proelium inter Romanos et Antiochum apud Thermopylas commissum a. 191 accidissent, hisce verbis exordium sumens: *ἱστορεῖ δὲ καὶ Ἀντισθένης ὁ περιπατητικὸς φιλόσοφος.* Vossio[2]), qui hunc philosophum non alium esse coniecerat nisi scriptorem rerum Rhodiarum, Mueller (FHG III 182) adversatus est haec fere disputans: si tempus solum spectaretur, Rhodium auctorem illius narrationis absurdae esse posse; neque tamen fieri potuisse, ut historicus Rhodius pugnam nemini illa aetate ignotam fabulis insulsissimis depravare auderet. Proximus Zeller (l. l.) hanc quaestionem tractavit, quem Susemihl[3]) omni ex parte secutus est. Ac primum quidem Zeller cum Muellero hac in re consensit, quod ille scriptorem a Polybio dignum habitum, qui magni aestimaretur, tales nugas neque credere neque narrare potuisse statuerat; etenim haud dubium esse, quin Polybius Antisthenem vituperaturus fuerit, si ineptias illas apud eum legisset[4]). Fabellas illas

1) Paradoxographi Graeci, ed. Westermann p. 125 sqq.

2) De historicis Graecis libri III p. 393.

3) Geschichte der alex. Litt. I 500 adn. 48.

4) quod argumentum Schwartz (Pauly-Wissowa, Antisthenes 9.), recte futile esse censuit Antisthenem Polybio ex Zenonis tantum commemorationibus notum fuisse demonstrando.

postea, aetate belli Mithridatici primi, Antistheni Rhodio falso suppositas esse, fortasse ab aliquo viro Aetolo.

Quae Zeller de Aetolia dixit, vera esse concedam, cum per totam illam fabulam odio adversus Romanos vehementissimo imbutam Aetoli quasi in deorum praecipua tutela esse videantur. At vel hoc Zeller non satis expedivit, curnam falsarius sub Antisthenis non historici sed peripatetici nomine lateret. Praeterea Schwartz[1]) optimo iure ne minimo quidem signo aetatem belli Mithridatici indicari, omnia bene bello Antiochi apta esse Zellero opposuit; vaticiniis autem, quae in narratione commenticia essent, perspicue ostendi, qua ira et invidia tunc Aetoli ceterique Romanorum adversarii inflammati essent. At eam ipsam ob causam a Schwartzio dissentio auctorem fabulae eundem virum esse atque Antisthenem Rhodium contendente; Rhodii autem bello Syriaco vinculis amicitiae artissimis cum Romanis coniuncti erant. Ergo historicum atque philosophum peripateticum unum esse virum nondum demonstratum esse putaverim.

Quod denique Schwartz, cum Antisthenes peripateticus hanc fabulam ad voluntatem fictam adhibere non veritus esset, haud sine aliqua specie veri ei librum pseudaristotelicum, cui inscriptum est *μαγικός*, attributum esse disseruit, haec quoque displicent. Res autem ita se habet: Suidas de Antisthene philosopho cynico cum alia tum haec dixit: *οὗτος συνέγραψε τόμους δέκα, πρῶτον μαγικόν· ἀφηγεῖται δὲ περὶ Ζωροάστρου τινὸς μάγου, εὑρόντος τὴν σοφίαν. τοῦτο δέ τινες Ἀριστοτέλει, οἵ δὲ Ῥόδωνι ἀνατιθέασιν.* Cum codicibus in omnibus *Ῥόδωνι* legeretur, praeter unum Parisinum A, in quo *Ῥόδων* est, Schwartz secundum coniecturam Bernhardyi dubitanter prolatam *Ῥόδωνι* in *Ῥοδίῳ* mutavit. At quoniam Rhodon satis usitatum erat nomen, non est, cur vocabulum illud deleamus, praesertim cum *Ῥοδίῳ* nullo antecedente *Ἀντισθένει* non habeat quo referatur. Denique, ut *Ἀντισθένει* praecederet, *τῷ Ῥοδίῳ* vel *Ῥοδίῳ τινί* scribere mallem.

Contra is Antisthenes, qui librum de successionibus philo-

---

1) Pauly-Wissowa, Realencyklopaedie, Antisthenes 9.

sophorum conscripsit[1]), mea quoque sententia ille philosophus peripateticus fuit, quoniam Aristotelem eiusque discipulos studiose historiae philosophiae componendae laborem suscepisse constat.

2. De Zenone.

De Zenone quoque longe plurima, quae scimus, Polybio (XVI 14 sqq.) debemus; breviter Diodorus V 56, 7 et Laertius Diogenes VII 35 eius mentionem faciunt.

Zenon aequalis fere Antisthenis ipse quoque anno 201 adultae aetatis erat. Quanquam eum Antisthene aliquanto minorem natu fuisse reor, quia ei cum Polybio (XVI 20,5sqq.) epistularum commercium fuit. Polybius enim ad Zenonem de erroribus nonnullis, quos in eius libro investigaverat, litteras misit. Quamvis autem fere omnia, quibus tempus, quo Polybius historias suas confecerit, attingitur, plane ambigua sint, tamen scriptorem non adulescentem has litteras dedisse apparet, sed aetate iam provecta, qua vel diutius studiis historicis deditus alios scriptores recensere susceperit. Quare illud commercium propius a saeculo altero medio quam ab ineunte abesse censeo. Altera ex parte epistulam prius missam esse tenendum est, quam Polybius in prytaneo Rhodiorum litteras illas praefecti classis Rhodiae legit (XVI 15, 8), quoniam eas in epistula Zenoni missa utique silentio praeteriit; quod non fecisset, si iam tunc Zenonem victoriam Ladensem Rhodiis falso attribuisse ex illis litteris perspexisset.

Cum autem Polybium post a. 150 Rhodi fuisse fere constet, hic ordo rerum constituendus est: Zenon a. 201 iam adultus post 198 historiam suam publici iuris fecit[2]). Quam cum legisset, Polybius Zenoni litteras misit brevi ante a. 150; Zenon respondit; post a. 150 Polybius Rhodum venit; Zenonem tunc iam mortuum esse veri simillimum est, siquidem Polybio per litteras solum neque vero coram cum scriptore Rhodio

---

1) Cf. Laert. Diog. I 40; II 39. 98. 134; VI 77. 87; VII 168; IX 6. 27. 35. 38. 57.

2) De fine operis Zenonici videas infra (p. 72).

consuetudinem fuisse ex ipsius verbis dilucet[1]); postremo Polybius censuram illam Antisthenis et Zenonis scripsit (XVI 14 sqq.).

In titulo quodam Prienensi (CIG II n. 2905, 2 (A), 13) Mueller (FHG II 337 sq.) Zenonis Rhodii nomen legi voluit. Quo titulo arbitrium Rhodiorum continetur litem inter Samios et Prienenses propter regiones terrae aliquas ortam disceptantium; Rhodiique ad sententiam suam firmandam testimoniis aliquot scriptorum rerum utuntur. Eo vero ordine, quo fragmenta inscriptionis amplae in Corpore Inscriptionum Graecarum disposita sunt, haec quoque litterarum series erat: *ΠΡΙΑΝΕ...... ΩΝΡΟΔΙΕΥΑΓΩΝΑΤΕ.* Mueller pro ... *ωνροδιεν* legendum esse *Ζήνωνα Ῥόδιον* censuit; *α* littera inserta et *εν* in *ον* mutatis emendationem sine dubio veram intulisse sibi visus est. Postea Hicks[2]) permultis fragmentis novis additis tituli partes denuo aliter disposuit. Quo ex novo ordine, qui sane a genuina forma inscriptionis haud multum abest, sequitur, ut de Zenone Rhodio ne cogitari quidem possit: pro . . . *ΩΝΡΟΔΙ* in titulo legitur . . . *ΩΝΡΟΑΙ*, quas litteras vir doctus cum prorsus aliis atque antea coniunxit ita, ut efficeretur: *ὡς ὑδάτων ῥοᾷ* (v. 107), litteris *ευ* (v. 109) nomen Euagonis scriptoris rerum incipit etiam v. 120 commemorati. Denique ne aetas quidem in Zenonem Rhodium cadit, cum Hicks (l. l.) et Lenschau[3]) titulum a. 240, Droysen[4]) etiam nonnullis annis ante (250—245) ortum esse iudicent.

Ne ex Rhodiis quidem inscriptionibus fructus percipitur, etsi nomen Zenonis apud Rhodios creberrimum erat. Aut enim tituli recentiores sunt, quam qui ad scriptorem referri possint[5]), aut Zenones in titulis nominati non Rhodi in insula nati sed alienigenae sunt[6]), aut omnino nil extat nisi solum Zenonis nomen[7]).

---

1) Cf. Clinton, Fasti Hellenici, s. a. 198.

2) Inscr. Mus. Brit. III n. 403 p. 12 sqq.

3) De rebus Prienensium. Leipz. Stud. XII 205.

4) Geschichte des Hellenismus² III 1, 331.

5) CIRh. 46, septies; 844, 33; 849; 4, II 40, III 52; praeterea Mitt. a. Ath. XX 384 vv. 23—24.

6) CIRh. 32; 501; 862.

7) CIRh. 664; A 1307; A 1308; Mitt. a. Athen XXI 57, 33; Inschr.

Ex duobus aliis Zenonibus item rerum scriptoribus, qui apud veteres memorantur, neutri cum Rhodio ratio est: alterum enim Laertius Diogenes VII 35 a Rhodio expressis verbis distinguens de Pyrrhi expeditione in Italiam et Siciliam facta et de bellis Punicis scripsisse dicit; nomen alterius, quem Syncellus (167 A = FHG III 626) de Semiramide verba fecisse contendit, Mueller (FHG III 174) suo iure ex Zenone in Dinonem commutavit.

Ideo ad Polybium redeamus; ut Antisthenes ita etiam Zenon in re publica administranda versatus, nobilium numero adscriptus est[1]). Zenonem quoque locupletem et copiosum fuisse inde perspicuum est, quod non quaestus gratia scripsit, sed ut gloriam adipisceretur (Pol. XVI 14, 3). Eadem etiam ex epistularum commercio discimus, quod inter Polybium et Zenonem erat (XVI 20, 5 sqq.); de quo referens Polybius eis, qui legunt, se excusat hoc modo: minime invidia permotum se Zenonis errores correxisse, sed utilitatis publicae causa; ex quibus et ex permultis aliis rebus cognoscitur Polybium scriptorem Rhodium ipsum permagni aestimasse eumque cavillari veritum esse. Manifestissime autem res declaratur Zenonis responso (Pol. XVI 20, 7). Scriptoris Rhodii urbanitatem et humanitatem eis verbis politissimis, quibus errorem suum libenter neque moleste agnovit, evidenter patefieri existimo. Recte igitur Susemihl[2]) Polybii censuram de Zenone habitam exemplar disputationis etsi severae tamen verecundae et decorae ratus argumentationes reiecit Brandstaeteri[3]), La Rochii[4]), Scalae[5]), Polybium acerbissime in Zenonem invectum esse asseverantium. Immo hoc existimo: quo plura iudicia contuleris, quae Polybius aliis de scriptoribus fecit, eo magis censuram Zenonicam inter mitissimas numerari oportere Suse-

---

v. Pergamon II n. 1015. 1016. Inscriptt. Graec. Sic. et Ital. n. 2393, 260; 2393, 331. Catalogue of the Greek coins of the British Museum. Coins of Caria, Cos, Rhodos etc., ed. by Head. London. 1897. p. 254. 261 (bis).

1) Cf. Pol. XVI 14, 3. 14, 9. 17, 11. videas etiam pp. 36; 53; 60.

2) Geschichte der alexandr. Litt. II 116 adn. 121.

3) Geschichte des aetol. Landes p. 240.

4) Charakteristik des Polybios p. 80.

5) Die Studien des Polybios p. 38, adn. 1; p. 293.

mihlio assentieris, quoad omnino scilicet Polybius censor clemens dici potest.

De Zenonis opere multo plura quam de Antisthenis liquent. Zenon quoque ex eorum numero fuit, qui *τὰ κατὰ μέρος* conscripserunt. Cuius rei duo extant testimonia, primum Pol. XVI 14, 1, alterum Laert. Diog. VII 35: *τὴν ἐντόπιον γεγραφὼς ἱστορίαν*. Neque vero Rhodum patriam solam respexit, sed aliis quoque de civitatibus et regnis egit: de Graeciae ipsius rebus (Pol. XVI 16, 1—17, 7); de pugna, quam Antiochus et Ptolemaeus apud Panium commiserunt (XVI 18 sqq.), nimirum aliarum quoque rerum publicarum, quae his fragmentis exilibus praetermissae sunt, rationem duxit. Neque quasi praeteriens has res tetigit, sed diligenter de eis disquisivit: cum Nabidis quidem, Lacedaemoniorum tyranni, iter Messenam factum describeret, omnia fere loca, vel minutissima, dictu paene indigna, per quae Nabis profectus est, singula enumeravit (Pol. XVI 16 sq.).

Temporis quoque spatium, quod Zenonis libro comprehendebatur, melius circumscribi potest quam Antisthenis. Cum enim res, quas Polybius ex Zenone attulit, omnes annis aut 201 aut 198 acciderint, Diodorus affirmat (V 56, 7) de fabulis, quae ad colonias Graecas Rhodi in insula conditas pertineant, cum alios tum Zenonem egisse. Unde efficitur Zenonis opus inde ab originibus usque ad scriptoris ipsius aetatem processisse[1]).

Quae cum ita sint, historiam Zenonis satis amplam grandemque fuisse necesse est; quod igitur Laertius Diogenes (VII 35) Zenonem dixit historiam patriae composuisse *ἐνιέα*[2]), vox illa

1) Finem historiae Zenonicae annis fere 165—163 fuisse infra exponere conabor (p. 72). Trieber (Hermes XXVII 338) Zenonem librum ante Ennii mortem confecisse coniecit, merae tamen coniecturae indulgens. Neque hoc Trieber ullis argumentis comprobavit, quod Zenonem de quattuor orbis terrarum imperiis primum verba fecisse suspicatus est. Illud tamen viro docto assentior Zenonem a partibus Romanorum fuisse.

2) *ἐνιέα*, non *ἐνιαίαν*, quod adhuc putabatur, codicibus Laertii exhiberi Wachsmuth benigne mihi exposuit. Coniecturas, quibus viri docti vocem *ἐνιαίαν* corrigere studuerunt, invenies apud Muellerum (FHG III 174 sq.).

obscura ita emendanda est, ut ultima littera *α* omissa scribatur: *ἐν ιε*, quindecim libris.

Iam rursus Polybium adire oportet, ut quanti Zenonis historia aestimanda sit, diiudicari possit. Scriptor autem ille severissimus, qui saepissime alios historicos conviciis iracunde consectatus est, in Zenone plurima laudavit, vituperavit pauca. Quibus criminibus, quantum tribuendum sit, ut cognoscamus, nunc singula animo perlustremus.

Ac primum quidem Polybius, quod Zenonem simul cum Antisthene propter nimium patriae amorem reprehenderat, postea ipse id vitium excusationis aliquid habere concessit (XVI 14, 6). Deinde vero Zenonem solum obiurgavit, quod in rebus topographicis, ut ita dicam, ter peccasset: scriptor Rhodius enim (Pol. XVI 16) Nabidem, cum Lacedaemone Messenam proficisceretur, per Sellasiam iter instituisse contenderat; quod tamen Zenon ipse epistula illa ad Polybium missa in irritum vindicavit (XVI 20, 7). Idem Zenon (XVI 17, 1) Nabidem, cum Messena Lacedaemonem reverteretur, egressum esse *κατὰ τὴν πύλην τὴν φέρουσαν ἐπὶ Τέγεαν* dixerat. In eis verbis nemo fere praeter Polybium, obiurgatorem illum rerum pusillarum, vitium indagaverit; ille tamen Zenoni dicendum fuisse voluit aut *κατὰ τὴν πύλην τὴν φέρουσαν ἐπὶ Μεγάλην πόλιν*, hanc enim urbem (quae Polybii patria erat!) Messenae propiorem esse quam Tegeam, aut *κατὰ τὴν πύλην Τεγεᾶτιν*, hanc enim portam re vera Messenae inveniri. Tertium denique vitium Polybius (XVI 17, 5) Zenonem commisisse declaravit, quod Alpheum amnem statim post fontem iterum terram subeuntem ad Lycoam demum, Arcadiae oppidum, in lucem prodire narravisset. Polybius contra Alpheum decem solum stadia sub terra ferri, deinde ducenta stadia usque ad Lycoam fluere affirmavit[1]). Qua in re Polybium, ut virum in Peloponneso natum, dignum esse cui fides habeatur, apparet. Neque vero nimium huic crimini demus, nam tales res mirae nimirum semper, quo latius pervulgantur, eo magis in falsum augentur et in maius depravantur.

---

1) Nostris temporibus paululum aliter rem se habere demonstravit Hirschfeld (s. v. Alpheios, Pauly-Wissowa).

Sed istos errores Polybius ipse leviores ratus Zenoni ignovit (XVI 17, 8); gravissime eum vituperavit, quod narrationem arte oratoria exornare maluisset, quam rerum conexum investigare materiamque dilucide digerere. At Polybium hac in re acerbitate paene immodica usum esse crediderim. Scriptorem enim celeberrimum, quem tamen in historiis conscribendis a Gratiis neutiquam adiutum esse satis constat, hac in re iudicem integrum esse nego; huc accedit, quod Zenon inscius Polybii iram excitasse mihi videtur, quia ipse saepius facultate sua laute et polite narrandi gloriatus est (XVI 17, 9). Praeterea id genus scribendi non Zenonis proprium erat, sed commune cum plurimis eius aetatis scriptoribus, atque eis quidem, qui maiore lectorum gratia florebant quam Polybius; quod is ipse cum multis aliis locis tum hoc quoque non sine aliqua invidia significavit (XVI 17, 9).

Ut demonstraret Zenonem non semper spectatae fidei esse, Polybius ad pugnam apud Panium commissam provocavit. Ac profecto ei contigit, ut auctorem Rhodium interdum res inter se discrepantes memoriae prodidisse ostenderet; at ipsum etiam modum vituperandi excessisse ex ipsius verbis colligendum est (XVI 19, 10 sqq.), quibus Zenoni opprobrio dedit, quod Scopam, Aegyptiorum ducem, eundem primum atque ultimum e proelio egredientem fecisset. Hanc enim vituperationem iniustam esse ex Polybii ipsius descriptione perspicitur: Scopas novis hostibus appropinquantibus signum receptui dedit; postquam autem per hos ipsos hostes iterum pugnam redintegrare coactus est, novo proelio confecto ultimus pugnae locum reliquit.

Cetera autem Polybii crimina omnia iusta Zenonem, ut Rhodium, rei militaris, quae quidem ad pugnas pedestres pertineat, non ita peritum fuisse docent. Ne autem eiusmodi erroribus nimium tribuatur, Polybii ipsius, auctoris diligentissimi, exemplum monet: cum enim pugnam ad Chium commissam describeret unam, tria vitia commisit (cf. p. 39).

3. Quae ratio inter Antisthenem et Zenonem intercedat.

Quam quaestionem cum Mueller (FHG III 174) silentio praeterierit, Schneiderwirth[1]) in transitu ita tetigerit, ut Zenonem maiorem natu putare videatur, nunc omnes viri docti, quod scio, Antisthenem maiorem fuisse consentiunt; atque ego quoque supra (p. 10) idem exposui.

Si quis Polybii censuram de Antisthene et Zenone habitam legerit, mirabitur, quod antea uterque nominatur, postea (XVI 16, 1 sq.: *γράφουσι — ἐν ᾧ φησιν ὁ Ζήνων*) Antisthenes clam subducitur. Unde Schwartz[2]) Polybium non ipsum Antisthenis historiam legisse, sed ex Zenone de ea cognovisse recte conclusit; qua ratione etiam hoc enucleatur, quod Polybius nihil de Antisthene solo nuntiavit, sed interdum ea, quae de Zenone dixisset, eadem de Antisthene valere declaravit; essetne Antisthenes Zenonis errorum particeps necne, in medium non protulit. Quod vero Schwartz Zenonem, cum omnes annales Rhodios uno volumine grandi congereret atque complecteretur, etiam Antisthenis librum excerpsisse contendit, haec etsi a specie veritatis non abhorrent, tamen, quae est scientia nostra illarum rerum manca, nimis diserte et definite dicta sunt.

Reliquiae quaedam Zenonis cum apud Diodorum extant[3]), tum Polybium Zenone usum esse auctore rerum Rhodiarum compluribus locis demonstraverunt Nissen[4]), Valeton[5]), Scala[6]).

Tres scilicet Polybii fontes Rhodii discernendi sunt: de primo, de Zenonis historia, iam diximus. Huc accedunt altero loco scriptoris studia in prytaneo Rhodiorum (XVI 15, 8);

---

1) Geschichte der Insel Rhodos, p. 183: Zenon und Antisthenes — ersterer — *noch* in der Weise etc.

2) Pauly-Wissowa, s. v. Antisthenes 9.

3) Cf. Mueller, FHG III 176 et 178; Lobeck, Aglaophamos, p. 1184; Wilamowitz, Hermes XVIII 429; Bethe, Hermes XXIV 422; Susemihl, Gesch. d. alex. Litt. I 641 adn. 632.

4) Kritische Untersuchungen über die Quellen der 4. und 5. Dekade des Livius.

5) De Polybii fontibus et auctoritate.

6) Die Studien des Polybios.

tertio loco Polybius, cum Rhodi esset, per colloquia de rebus permultis exquisivit atque sciscitatus est, quae ipsi scitu digna viderentur. Hunc tertium autem fontem vix usquam aperte apparere, ut a prioribus seiungi possit, iudico. Hoc tamen nonnullis locis continget, ut indagetur, ubi Zenonis libro, ubi tabulis publicis Polybius usus sit.

Iam ad singula procedamus.

II.

De fontium Rhodiorum reliquiis apud Polybium obviis.

1. Libro quarto.

In libris Polybianis I—III frustra auctoris Rhodii vestigia sectaberis, quoniam eis res praecipue ab Romanis et Poenis gestae exponuntur. Quarti vero libri, quo auctor ad res Graecas se vertit, non exiguam partem fontibus Rhodiis deberi mihi quidem persuasum est, quanquam neminem adhuc hoc statuisse concedo.

Post exordium (IV 1—2) scriptor de causis et initio belli, quod dicunt sociorum, in Graecia gesti disseruit (IV 3—37): tandem omnia ad certamen iustum parata sunt: Philippus rex magno cum exercitu phalangitarum, peltastarum, equitum in Graeciam proficiscitur, cum repente Polybius sine ulla causa manifesta narrationis finem facit hisce verbis miris (IV 37, 8): *ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντ' ἦν ἐν τοιαύταις ἐπιβολαῖς καὶ παρασκευαῖς· κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς ἐξήνεγκαν Ῥόδιοι Βυζαντίοις πόλεμον διά τινας τοιαύτας αἰτίας*, atque eis, quae sequuntur, bellum a Rhodiis et Prusia rege adversus Byzantios gestum enarrat sociali bello plane neglecto. Accedit quod Polybius bello sociorum iam ad ineuntem annum 219 deducto descriptione belli Rhodiorum et Byzantiorum iterum ad annum 220 rediit[1]). Quin etiam Polybium ipsum illo interposito

1) Initium huius belli ante annum 219 ponendum esse fere omnes viri docti consentiunt: Schweighaeuser et Hultsch in notis marginalibus

ordinem rerum se perturbasse sibi conscium fuisse ex argumento initio libri tertii dato sequitur; pertinent enim III 2, 1—2 ad librum III; III 2, 3 ad IV 3—37, IV 57—V 30; III 2, 4 ad V 31—111; III 2, 5 ad IV 38—56; III 2, 6 ad VI. In argumento igitur digressio, quae est de Rhodiis et Byzantiis, alio loco posita est atque in narratione perpetua. In qua, cum Polybius contextum quasi per vim abruperit, fontes, ex quibus hauserit, hoc loco mutatos esse veri simillimum est. Quem vero vel quos auctores in bello Rhodiorum et Byzantiorum (IV 38, 1—52, 9) enarrando secutus sit, nunc anquiramus.

Ad bellum ipsum scriptor longas demum post ambages pervenit; primum enim Byzantium a mari peropportune (IV 38, 2—44, 10), a terra iniquissime (IV 44, 11—46, 6) situm esse demonstravit, bellum ipsum tandem IV 47, 1—52, 9 perscripsit.

Quibus ex particulis rursus in eam, quam primam posuimus (IV 38, 2—44, 10), ipsam quoque digressio copiosa geographica (IV 39—42) de natura maris Pontici, paludis Maeoticae, Bospororum Thracii et Cimmerii inclusa est. Quas regiones paululum remotas et ideo plerisque Graecorum ignotas si tractaret, Polybius lectoribus aliquid novi oblaturus esse sibi visus est (IV 38, 11). At, unde ipse rerum scriptor hanc scientiam assecutus est? Nempe triplici ratione potuit: aut ea in libro aliquo legerat, aut ab hominibus indigenis quaesiverat, aut ipse oculis inspexerat. Quod ut disceptetur, trium locorum Polybianorum (IV 38, 11—13; 39, 11—40, 3; 42, 6—7) ratio habenda est.

Librum quendam ab auctore simpliciter transscriptum esse cum natura descriptionis vere Polybiana vetatur, tum ipsius verbis (IV 40, 1), quibus plurimos quidem scriptores quaestiones difficiliores callide transilire solere, se autem

---

editionum; Schorn, Gesch. Griechenlands von der Entstehung des aetol. und achäischen Bundes bis zur Zerstörung von Korinth, p. 163; Rospatt, Philologus XXVII 674; Schneiderwirth, Gesch. d. Insel Rhodos, p. 228, adn. 49; Holm, Griech. Gesch. IV 351. Copiosius Nolte, De rebus gestis regum Bithynorum, p. 47, adn. 35 hanc quaestionem tractans bellum illud iam ol. 139, 4 = 221/220 ortum esse censuit.

omnia perspicere et pertractare conaturum esse asseveravit. Unde Polybium hac in re non aliorum sed suam ipsius scientiam proferre concludere oportet.

Iam cum notitiam illarum rerum non ex fabulis et iactationibus nautarum et mercatorum haustam esse ipse saepius contendat (IV 39, 11; 42, 7), non est, cur ei diffidamus expositionem suam (IV 39, 11) *ἐκ τῆς κατὰ φύσιν θεωρίας* prodiisse dicenti. Atque scriptorem suis ipsius oculis regiones illas perlustravisse[1]) cum ex totius disputationis ratione tum singulis ex indiciis cognoscitur; exempli gratia nomino IV 38, 4 sqq., enumerationem accuratam earum rerum, quae ex illis terris exportari atque rursus in eas importari solebant; praeterea conferas IV 39, 5—6; 43; 44, 4: quibus ex locis scriptorem Bosporum Thracium visisse manifestum est; atque eum etiam saepius de Ponto verba fecisse ex XXXIV 12, 8—11 et 15, 5 apparet.

Hoc scilicet in promptu est physica illa (IV 39, 7 sqq.), quae ad Pontum et paludem Maeoticam pertinent, non prorsus nova, inaudita, Polybii ipsius propria esse; quod ipse largitur ad Heraclitum provocans (IV 40, 3), et veterum[2]) testimonia afferens (IV 40, 9). Postquam autem Reiske[3]) iam Democritum maria sensim paulatimque expleri docuisse monuit, Scala[4]) Polybium, quaecunque hic exposuisset, omnia ad verba fere ex Stratone Lampsaceno sumpsisse contendit.

Polybium aliquo modo ex Stratone pendere posse non nego[5]); at minime auctor gravissimus Stratonis libro tam mala ratione abusus est, qua Scala voluit, cum illa quoque verba (IV 39, 11—40, 3 et 42, 7), quibus Polybius lectores

1) Quam sententiam etiam Valeton (l. l. p. 191) defendit.

2) Dindorf (Polybii historia IV praef. p. VIII), qui verba: *καθάπερ οἱ παλαιοὶ συμφωνοῦσι* (IV 40, 9), quia e margine in textum irrepsissent, delenda censuit, mihi non persuasit.

3) Animadversiones ad Graecos auctores, IV p. 326; cf. etiam Schweighaeuseri adn. ad IV 40, 4.

4) Studien des Polybios p. 189 sqq. Quam Scalae sententiam disertis verbis comprobaverunt Wendland, Berl. philol. Wochenschr., X 433; Holzapfel, Neue phil. Rundschau XI 8; Jacoby, Wochenschr. f. kl. Ph. IX 719.

5) praesertim cum Diels (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1893 p. 101 sqq.) etiam apud scriptores mechanicos Stratonis vestigia invenerit.

quasi adlocutus est, ad litteras ex Stratone deprompta esse affirmaret (l. l. p. 199 sq.). Nunquam Polybium tanta stultitia atque impudentia alienis bonis gloriatum esse Scalae credam. Neque Polybii erat exemplar ad litteras exscribere, quod Scala voluit, cum illum ne librum quidem Stratonis in scribendo prae manibus habuisse opus esset; fortasse memoriter paucas sententias, quas multo ante legerat, hic in suum usum transtulit. Quam infirma et lubrica Scalae ratio demonstrandi sit, vel ex primo argumento (p. 190) intellegitur: cum et Polybius dicat (IV 40, 5): *ὅταν γὰρ ὁ μὲν χρόνος ἄπειρος ᾖ, τὰ δὲ κοιλώματα πάντῃ πάντως ὡρισμένα*, et Stratonem de hoc temporis atque spatii discrimine egisse notum sit, Scala haec Polybiana ex ipso Stratone originem ducere contendit. At Polybius illud decretum Aristotelicum, quod pertinet ad tempus infinitum et spatium finitum, si modo noverat, non solum ex Stratonis, sed ex permultorum philosophorum scriptis discere potuit.

Hoc igitur existimo: ipsos illos locos, qui Scalae opinione sine ulla mutatione ex Stratone deprompti sint, apertissime originem Polybianam prae se ferre. In quibus praecipue IV 39, 11 numero: quibus verbis omnes, quicunque illa opinione non occupata inspexerint, hoc sane contineri putabunt: scriptorem regiones illas coram vidisse. Alio vero loco a Scala in suspicionem vocato, IV 40, 2 sqq., vel ex vocabulorum similitudine, quae inter hunc et alium, III 59, 3, est, utrumque a Polybio compositum esse dilucet, cum utrobique fere eadem legantur: III 59, 3: *ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς — σχεδὸν ἁπάντων πλωτῶν καὶ πορευτῶν γεγονότων*; IV 40, 2: — *ἴδιον — τῶν νῦν καιρῶν — ἐν οἷς πάντων πλωτῶν καὶ πορευτῶν γεγονότων κτλ.*

Restat IV 38, 12. Quem locum ita interpretor, ut Polybius plurima quidem oculis comperta habuerit, in reliquis eos auctores secutus sit, quos diligenter perscrutando et examinando fidissimos repererat; qui auctores fortasse Byzantii quidam erant; illi enim hac in narratione saepius laude ornantur (IV 38, 10; 45, 9).

Etiam Thommen[1]) cum de temporis spatio, quo Polybii

1) Hermes XX 218.

historiae confectae essent, ageret, hanc digressionem (IV 38 sqq.) tractavit. Cui viro docto, cum quartum quoque librum ante annum 150 compositum esse demonstrare vellet, sane excursus ille obstitit; nam permulta inesse, ex quibus auctorem regiones eas permigrasse manifestum videretur, ne ipse quidem infitiatus est. Quod tamen Thommen propterea probare nequiit, quia Polybium illas terras non ante annum 150 adiisse fere constat. Ne vero partem illam (IV 38 sqq.) post annum 150 scriptam esse agnosceret, Thommen hanc rationem iniit, ut totam digressionem traditioni, quam dixit, assignaret, duobus argumentis nisus hisce: primum enim scriptorem IV 38, 11—13 et 40, 1—3 consulto verba fecisse obscura, quo occultare vellet, se terras illas ipsum non vidisse; deinde de Byzantii situ nil narrari. Iam alterum argumentum ex silentio petitum praetermitto silentio. Quae vero Thommen obscura esse contenderat, me testimonia plane perspicua putare supra demonstravi. Cum autem Polybius auctor esset fide dignissimus, Thommeni erat etiam alia exempla conferre, ex quibus scriptorem lectores sermonis obscuritate fallere atque decipere solere appareret.

Multo facilius vir doctus, quippe qui librum quartum ante annum 150 compositum esse vellet, rebus suis consuluisset ratione etiam aliis in libris saepissime usurpata, si pleraque libri quarti ante annum 150 conscripta, excursum autem illum molestum, IV 38—56, quandoquidem neque cum praecedentibus neque cum sequentibus ullo vinculo coniunctus est, postea insertum esse docuisset.

Iam ad alteram partem narrationis (IV 44, 11—46, 6) transeamus, qua Polybius Byzantium a terra propterea situ esse alieno atque parum opportuno exposuit, quod perpetuo a barbaris vicinis premeretur bellis gravissimis. Quae pars cum priore prorsus congruit: etiam hic scriptor Byzantiis benevolum se praestat (IV 45, 9); bella a Byzantiis cum Thracibus et Galatis gesta, quae paucissimis verbis absolvi potuerunt, accurate et verbose explicantur; quin etiam res, quae ante annum 278 acciderant, commemorantur (IV 46, 1); stipendia a Byzantiis Galatis pensitata diligentissime enumerantur (IV 46, 3—4); praeterea auctorem rerum earum peritissimum fuisse dilucet ex IV 45, 10; 46, 2; 46, 4.

Itaque et primam et alteram partem a Polybio ipso, postquam Byzantii fuit, compositas esse puto.

Tandem (IV 46, 5—47, 2) scriptor ad causas belli Rhodiorum et Byzantiorum exponendas se vertit; ac primum quidem indiligentia scriptoris exigua animadvertitur, cum antea (IV 46, 6; cf. etiam IV 52, 5 et III 2, 5) vectigal mercatoribus ex Graecia in mare Ponticum, postea (IV 47, 1) ex Ponto navigantibus imponatur. Sane expectares, ut Byzantii ab utrisque tributum exigerent; quod re vera factum esse Schneiderwirth[1]) censere videtur, neque ego ab eadem sententia alienus sum[2]).

In describendo bello Rhodiorum et Byzantiorum Polybius non unum solum fontem secutus est, sed diversos, quod vel ex indiciis quibusdam adventiciis apparet: nam scriptor tandem IV 49, 1—4 ea copiosius exposuit, quae iam multo ante (IV 47, 7) leviter significaverat hisce: *ᾔδεσαν γὰρ τὸν Προυσίαν παρατριβόμενον ἔκ τινων πρὸς τοὺς Βυζαντίους*. Uno tantum fonte adhibito Polybius sane ipsis eis verbis causas irae adiunxisset. Eadem ratione intellegimus, cur Polybius IV 50, 8 iterum Tiboeten a Byzantiis ex Macedonia arcessitum esse narraverit, id quod iam IV 50, 1 legimus; quoniam non est, cur auctorem unam rem, quae semel tantum acciderit, in eodem fonte bis repetitam invenisse putemus, probabilissimum esse videtur scriptorem idem factum ex diversis fontibus bis sumpsisse. Dixerit fortasse quispiam simili ratione etiam IV 50, 8 de eadem legatione agi atque iam supra (IV 48, 1). At legationes illas diversas esse reor, cum antea ad Achaeum et Attalum, postea ad Achaeum solum legati missi sint. Byzantii igitur bis ab Achaeo auxilium petiverunt, cum eorum multo plus interesset principem illum potentissimum (cf. IV 48, 2 sqq.) ipsis socium fieri quam Attalum opibus infirmum; eadem de causa etiam IV 50, 1 Achaeus solus laudatur.

Fontes vero, ex quibus narratio huius belli hausta est, Byzantii erant et Rhodii, quod vel inde apparet, quia auctor, ut ita dicam, modo Byzantiorum modo Rhodiorum in castris

1) Geschichte der Insel Rhodos, p. 64.

2) Eadem diversitas etiam de Atheniensibus legitur apud Pol. IV 44, 4 et Xenoph. Hell. I 1, 22. Cf. Boeckh, Staatsh. d. Ath. I² 441.

versetur. Tamen statim ab initio hoc moneam, ne nimium momenti demus, ex utra parte quoque loco auctor stare videatur, cum ex tota huius belli descriptione Polybium tam Rhodiis quam Byzantiis amicum fuisse cognoscatur. Quin etiam fortasse iam Polybii auctoribus vel Rhodiis vel Byzantiis idem animus erat studio et ira vacuus, ut bellum illud satis leve etiam levius fingere studerent. Civitates enim illae antea amicitia inter se coniunctae (cf. Diod. XVI 77, 2) post bellum statim in gratiam redeuntes si non societatem sollemnem, tamen amicitiam inierunt; quod inde colligi potest, quia saepius coniunctim egerunt (cf. Pol. V 63, 5; 100, 9; XI, 4), bello vero contra Philippum gerendo Byzantii Rhodiorum socii fuerunt (Pol. XVI 2, 10; cf. etiam XVIII 2, 4 = Liv. XXXII 33, 7). Auctor igitur, cum neutri parti unice se adiunxisset, integro iudicio, quomodo quaeque facta essent, narravit.

Quare non iam miraberis, quod saepius omnino nulla ansa praebetur, unde natura fontium investigetur, ut IV 48; saepius etiam Polybius ipse quaedam addidit (IV 49, 5; 50, 9; 52, 8).

In belli ipsius[1]) descriptione fonti Byzantio haec attribuo: IV 46, 5—6; 49, 1—4; 50, 1—4; 51, 7—52, 1. Scriptor Byzantios laudat, quod pro viribus ipsi rebus suis prospexerint, eosque a nonnullis civitatibus adiutos esse callide occultat (IV 46, 6). Causae minutae et paene inanes, quibus permotus Prusias cum Rhodiis fecerit, copiosissime exponuntur (IV 49, 1—4); auctor Rhodius certe regem non solum ira Byzantiorum inflammatum partes Rhodiorum cepisse dixisset, sed etiam ut Rhodios causam omnium mercatorum defendentes adiuvaret. Deinde (IV 50, 1) auctor Byzantios bellum fortiter suscepisse praedicat, cum tamen illi ne unum quidem facinus memorabile gesserint, sed a Prusia vehementissime pressi sint. Diserte enarratur, quomodo quibusque ex causis Hieron castellum ab eis emptum sit (IV 50, 3); Byzantiis iam ante multos annos in Mysia possessiones fuisse diligenter exponitur (IV 50, 4).

Fonti Rhodio contra, Zenoni scilicet, haec debentur: IV 47, 1—7; 50, 5—8; 50, 10—51, 6; 52, 2—3. Quis enim vir Rhodius patriam laudibus splendidioribus aut magnificentiori-

1) De pace, IV 52, 4—9, infra agam (p. 25).

bus efferre potuit quam hic effertur (IV 47, 1): *διὰ τὸ δοκεῖν τούτους προεστάναι τῶν κατὰ θάλατταν*? Apertissime autem origo Rhodia patet IV 50, 5—7: Ratio enim Rhodiorum cauta, ne dicam timida, qua permoti tarde atque lente agebant, narratione copiosissima praeter modum in melius augetur; quaecunque Rhodii aggrediebantur, summa cum diligentia referuntur, ex. gr. quot naves in Hellespontum miserint, utrae Rhodiorum utrae sociorum fuerint (cf. etiam IV 47, 3). IV 50, 10 Rhodii laudantur, quod ne ad armorum discrimen descendatur, nihil inexpertum omittere soleant. Ex verbis vero (IV 51, 2): *καὶ πρότερον μὲν ἐκ παρέργου τοῦτο πεποιηκότες* etiam res a Rhodiis ante id tempus gestas auctori notas esse cognoscitur. Satis multis autem verbis (IV 51, 3 sqq.) auctor demonstrat Ptolemaeum amicitiam Rhodiorum tanti fecisse, ut eorum gratia commodum maximum e manibus emiserit; Aegypti regem antea Rhodiis Andromachum exposcentibus non obsecutum esse non sine aliqua arte silentio praetermittitur. Re vera autem Ptolemaeus Rhodiis ideo benignum se exhibuit, ut illi mutuo officio ipsum adiuvarent iam tunc simultate inter reges Aegypti et Syriae orta (IV 51, 3); et anno proximo Rhodii simul cum aliis civitatibus (V 63, 5) indutiarum inter reges faciendarum auctores erant. Etiam IV 52, 2—3, quaecunque ad Rhodios pertinent, diligentissime pertractantur: quis fuerit legatus Rhodiorum, quis navium praefectus, quot et quales naves missae sint, haec omnia discimus; noli enim putare triremes in universum pro navibus usurpatas esse: Rhodii autem illa aetate paucis triremibus, multo pluribus usque ad annum 201 quinqueremibus, postea quadriremibus utebantur; quod propterea facillime observari potest, quia in partibus ad Rhodum spectantibus Polybius paene semper, quo genere naves fuerint, addit.[1])

Restat IV 52, 4—9. A ceteris separanda est 52, 8, ubi Polybius ipse interpretandi causa quaedam adiecit. Mirum autem in modum Rhodii, quorum res adhuc exactissime tractabantur, nunc negleguntur (52, 5), cum ea, quae inter Prusiam et Byzantios convenerunt, diligentissime referantur. Quae differentia optime cognoscitur ex verbis, quibus utrique se in

1) Hac de re videas appendicem 2.

tempora futura pacem servaturos affirment; de Rhodiis haec leguntur simplicissima (IV 52, 5): *Ῥοδίους δὲ καὶ τοὺς συμμάχους τὴν εἰρήνην ἄγειν πρὸς Βυζαντίους*; de Prusiae contra foedere verba dura quadam gravitate exornata haec inveniuntur (IV 52, 6): *εἶναι Προυσίᾳ καὶ Βυζαντίοις εἰρήνην καὶ φιλίαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, μὴ στρατεύειν δὲ μήτε Βυζαντίους ἐπὶ Προυσίαν τρόπῳ μηδενὶ μήτε Προυσίαν ἐπὶ Βυζαντίους*. Quam formulam sollemnem, quae etiam saepius[1]) in eiusmodi pactis occurrit, ex ipsa pacis tabula depromptam esse censeo; ea contra, quae ad Rhodios pertinent, Polybius circumcidisse videtur. Etiam ad pacis tempus definiendum Byzantiorum hieromnemon, magistratus eponymus, nominatim affertur (IV 52, 4), cum Rhodiorum sacerdos Solis, quamvis multo notior et gravior, tamen silentio praetermittatur[2]). Denique ea, quae Prusias et Byzantii inter se constituerunt, intentissima cura exponuntur (IV 52, 7 et 9); ita ut etiam duo genera captivorum statuantur: *τοὺς λαοὺς καὶ τὰ πολεμικὰ σώματα*, et materiae ex Hiero dereptae accurate ratio habeatur: *καὶ τὰ ξύλα καὶ τὴν λιθίαν καὶ τὸν κέραμον*.

Quare hoc existimo Polybium tabulas foederis a Prusia et Byzantiis facti ad verba fere iterasse, cum ea, quae Rhodii et Byzantii inter se pepigerant, in universum tantum adumbraret. Dissentio igitur a Valetone (l. l. p. 221) et Scala (l. l. p. 268), scriptorem illas tabulas in prytaneo Rhodiorum inspexisse contendentibus.

Iam ad finem illius belli pervenimus: in quo describendo Polybium, ut ea, quae de natura maris Pontici disseruerit, omittam, his fere fontibus usum esse arbitror:

a) Zenonis historia, cum de rebus Rhodiis librum quendam adhibitum esse vel ex nominibus virorum et numeris et generibus navium et ceteris rebus eiusmodi accurate enumeratis efficiatur.

b) Narrationibus, quae ad bellum Prusiae et Byzantiorum

---

1) Cf. Pol. XXI 45, 1; XXV 2, 3; praeterea inspicias tabulam foederis a Rhodiis cum Hierapytniis facti, Mnemosyne I p. 79 sqq.: vv. 11. 58. 96.

2) Quo argumento iam Swoboda (Zeitschr. f. östr. Gymn. 1891 p. 444) contra Scalam (cf. paulo infra) usus est.

terra gestum pertinebant, quas Polybius aut iam Zenonis libro insertas invenit, aut cum Byzantii esset, ex viris quibusdam quaesivit.

c) Tabulis pacis inter Prusiam et Byzantios factae; quas scriptor fortasse Byzantii in oppido ipse legit.

Quas singulas partes Polybius compositas suis additamentis instruxit. Nusquam vero quidquam animadverti, unde auctorem ex prytaneo Rhodiorum hausisse colligi posset. Neque ullum auctorem Prusiae potissimum benevolum Polybius secutus est, cum ne in hac quidem re offenderet, quod rex victor, quidquid Byzantiis bello abstulerat, restituere coactus est.

Tantum autem abest, ut Polybius nunc demum ad bellum sociale conscribendum redeat, ut ad novam digressionem transeat (IV 52, 10) simillimis usus verbis atque supra (IV 37, 8). Neque tamen hunc alterum excursum de Cretae insulae rebus (IV 53—55) vinculis carere, quibus cum priore coniunctus sit, efficitur ex eius exordio (IV 53, 1—2): bello Byzantio confecto legati Cnosiorum ab Rhodiis petiverunt, ut sibi sex naves subsidio mitterent. Quibus verbis ad Rhodum spectantibus eadem natura est, quae etiam superioribus erat: navium numerus et genera, etiam praefecti nomen, diligenter traduntur; occisio autem Timarchi Eleuthernaei (IV 53, 2) levissime modo tangitur, ut utrum iure an iniuria Rhodii eum interfecerint non appareat; at illi viro vim a Rhodiis illatam esse propterea reor, quod eius populares hac nece ad bellum Rhodiis inferendum adducti sunt; quod cives illius oppidi exigui sine iusta causa facturos fuisse negaverim Rhodo opibus maritimis florente. Denique ipsa mentione illius discidii auctor Rhodius significatur: ceteras enim rixas Cretensium innumerabiles vel enumerare Polybio longum fuit.

Verbis igitur his (IV 53, 1—2) ex Zenone sumptis descriptio belli Byzantiorum item Zenonica coniungitur cum digressione quae est de Cretensium rebus. Quae utrum ipsa quoque ex Zenone originem ducat necne, iam videamus. Ac primum quidem Valeton (l. l. p. 204) Polybium plurima quae de Cretae insulae rebus narrasset, Zenoni debere voluit. Atque hoc certe concedo Zenonem de Cretae rebus egisse veri esse

simillimum, praesertim cum[1]) Rhodo cum Creta insula vicina magnus usus fuerit. Hoc tamen a Zenone ut Rhodio alienum esse puto, quod scriptor (IV 54, 3—6) acerbissime fortunam sinistram Lytti a Cnosiis deletae queritur, quanquam Rhodii et Cnosii foedere iuncti erant. Polybium contra ut Achaeum ista lamentatio optime decet, quoniam Achaei cum Cnosiorum hostibus, quorum in numero etiam Lyttii fuerant, societatem inierant (IV 55, 1; 55, 5), Cnosii autem Aetolorum amici erant (IV 53, 8; 55, 1; 55, 5).

Quae cum ita sint, hanc rationem inter singulas partes intercedere duco: IV 53, 1—2 Zenonis sunt; 54, 3—6 Polybii ipsius aut alterius cuiuslibet auctoris Achaei; 55, 1—6 item Achaea esse reor, cum ad bellum sociale pertineant; 53, 3—54, 2 denique Zenonis esse possunt. Itaque hac in digressione, quae est de Cretae rebus, Polybius a Zenone profectus ipse complura addidit.

Tertio denique scriptor ad Rhodum rediit capite illo IV 56, quo de Sinopensium clade disseruit. Cuius in priore parte (56, 2—3) origo Rhodia plane perspicua est, cum omnia dona Sinopensibus a Rhodiis data accuratissime exponantur et enumerentur. Neque tamen eam ex Zenone sumptam esse libentius crediderim, quam ex tabula quadam prytanei Rhodiorum. Altera eius capitis parte (56, 4—9) Polybius ipse nonnulla de situ Sinopae contulit; quae cum satis clara et illustria sint, scriptorem ipsum illo in oppido fuisse reor.

Tandem IV 57, 1 Polybius ad bellum sociale rediit, atque ita quidem, tanquam nil interpositum esset; nam verba quae hic sunt: *μετὰ τῆς δυνάμεως* artissime respondent loco priori (IV 37, 7): *μετὰ τῆς δυνάμεως, ἔχων Μακεδόνων φαλαγγίτας μὲν μυρίους κτλ.* Excursuum autem illorum trium, quibus contextus interrumpitur, omnium hoc proprium est, quod ab Rhodiis proficiscuntur.

2. Libro quinto.

Digressionibus illis libri quarti absolutis Polybius bella, primum sociorum, deinde Antiochi et Ptolemaei, usque ad

1) Cf. Holm, Griech. Gesch. IV 341; praeterea Naber, Mnemosyne I p. 79 sqq.; de amicitia Rhodiorum et Cnosiorum cf. Diod. XX 88, 9.

annum 217 tractavit; subito vero V 88, 1 denuo mediam descriptionem abrumpens transitu nobis iam noto: *τὰ μὲν οὖν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐν τούτοις ἦν· Ῥόδιοι δὲ κτλ.* munera paene innumerabilia Rhodiis post ingentem terrae motum undique missa dinumeravit (V 88, 5—90, 2)[1], quae quin ex fonte quodam Rhodio hausta sint, non dubium est. Hoc autem dubitari potest, utrum Polybius ea ex Zenone exscripserit an ipse Rhodi tabulam aliquam donorum inspexerit; hoc Droysen[2]), illud Valeton (p. 202) et Scala (p. 261) comprobaverunt. Quanquam neque ex enumeratione ipsa neque ex verbis, quibus illa quasi cingitur (V 88, 1—4; 90, 3—4), certi quidquam lucramur, tamen Droyseni sententiam praefero, sive Polybius haec legit in inscriptione Rhodi in urbe posita, sive in prytaneo.

Neque omnia dona enumerantur, sed dimidia fere pars; alterius partis brevissime modo mentio fit iis viris strictim commemoratis, qui praeterea Rhodios munerati sunt (V 90, 1—2).

Miraberis fortasse in inscriptione honoris causa in publico posita rationem reddi non earum rerum, quas singuli dederint, sed quas se daturos esse promiserint, ex. gr. V 89, 1: *ἐπηγγείλατο δὲ καὶ Πτολεμαῖος κτλ.*, 89, 6: *Ἀντίγονος — ἑκατὸν ἐπηγγείλατο τάλαντα.* Quam dubitationem sublatum iri existimo alio quodam titulo Rhodi invento, quo item pro donis post terrae motum quendam datis gratiae aguntur (CIRh. 9, 3 sq.), ubi simillima verba atque apud Polybium sunt haec: *τοίδε τῶν ἐρανιστᾶν ἐπαγγείλαντο εἰς τὰν ἀνοικοδομὰν τοῦ τοίχου κτλ.* (cf. etiam CIRh. 937, 7 sqq.).

Una tamen difficultas eaque summa restat haec: Polybius postquam usque ad annum 217 processit, terrae motu ad aetatem multo priorem rediit. De ipso illius calamitatis anno viri docti dissentiunt[3]). Ne in hac quaestione tractanda multus

---

1) De eadem re etiam Diodorus dixit XXVI 8. Quod fragmentum quamvis depravatum tamen ex Polybio depromptum esse videtur. Aliter Droysen (Gesch. d. Hell.[2] III 2, 179, adn. 1) Diodorum non Polybium, sed alium auctorem minus diligentem secutum esse censuit.

2) Geschichte des Hellenismus[2] III 2, 179, adn. 1.

3) Cf. praecipue Schneiderwirth, Gesch. v. Rhodos, p. 225 sq., adn. 47; Treuber, Gesch. d. Lykier, p. 148, adn. 4; Holm, Gr. Gesch. IV 354.

sim, haec sufficiant: inter eos, qui Rhodios muneribus affecerunt, Seleucus quoque erat, Syriae rex, ὁ πατὴρ Ἀντιόχου (V 89, 8). Quem Schneiderwirth (l. l.) anno 224, nuperrime Wilcken[1]) iam anno 226 mortuum esse censuerunt. Praeterea Rhodum aliquot annis ante 217 terrae tremore conquassatam esse inde coniciendum est, quod Rhodii post annum 220 fere ex clade refecti res non ita parvas gesserunt, cum ad Cycladas insulas contra Demetrium Pharium defendendas classem mitterent (IV 19, 8), bellum cum Byzantiis gererent (IV 38 sqq.), Cretae rebus operam darent (IV 53 sqq.), Sinopensibus subsidia mitterent (IV 56), bello sociorum finem imponere conarentur (V 24, 11 et 28, 1), Ptolemaeum et Antiochum in gratiam reducere studerent (V 63, 5).

Cum Polybius ipse non dicat cur tot demum annis post eventum de terrae motu disseruerit, fortasse conicere licebit Rhodios anno 217 inscriptione in urbe constituta pro beneficiis post terrae motum acceptis gratias egisse; quo verba mihi spectare videntur haec (V 88, 1): Ῥόδιοι δὲ κατὰ τοὺς προειρημένους καιροὺς (scilicet anno 217) ἐπειλημμένοι τῆς ἀφορμῆς κτλ., cum illa (V 88, 2): οὕτως ἐχείριζον κτλ. referenda esse ducam ad ea, quae terrae motum subsecuta sunt.

3. De Achaeo.

Quinque primis libris non plura quam haec, de quibus egi, de Rhodo ipsa ex Zenonis historia vel ex tabulario Rhodiorum sumpta sunt. Quotiescunque[2]) enim praeterea Rhodus commemoratur, semper quasi in praetereundo leviter tantum tangitur. Zenonem vero non de Rhodo sola scripsisse, sed de aliis quoque civitatibus iam supra (p. 13) vidimus. In Graeciae autem ipsius rebus scribendis Polybium Zenone auctore usum esse non credo; harum enim rerum et Polybius ipse et permulti eius populares multo peritiores erant historico Rhodio. Probabilius mihi videtur Zenonem Polybio testem fuisse rerum in regnis orientem versus sitis gestarum, inprimis

1) Pauly-Wissowa, s. v. Antiochos 25.

2) Pol. III 2, 5; 3, 2; 3, 7. IV 19, 8. V 24, 11; 28, 1; 63, 5; 100, 9.

Syriacarum, praesertim cum scriptor in illis operis partibus de auctoribus suis, quantum nos scimus, prorsus taceat.

Primum autem hoc suspicionem movet, quod Polybius, cum nullus omnino scriptor rerum illius Achaei mentionem faceret, multis locis uberrime eius res gestas descripsit atque quasi amore quodam permotus fortunam fatalem conquestus est[1]).

Si omnia, quae de Achaeo sunt, deinceps legeris, posterioribus potissimum partibus (VII 15—18; VIII 17—23), Polybium, scriptorem illum sobrium et siccum, vix agnosces, cum illae de Achaeo digressiones variis luminibus describendi ornatae fervidiores sint, quam quae Polybii esse videantur; ut exempla afferam, legas VII 17, 4; VIII 21, 7 sqq.; 22, 3; 22, 8 sq.; 23, 4; atque miraberis eundem scriptorem antea (II 56, 7 sqq.) Phylarcho opprobrio dedisse, quod velut poeta homines flentes et lamentantes induxerit, hic vero eundem paene eadem facere. Quare, si haec omisso auctoris nomine legeres, potius fabulam fictam, quam partem historiae Polybianae esse suspicareris. Saepius auctor amorem et misericordiam lectoris erga Achaeum excitare studuit, ut ex. gr. IV 48, 9 sqq. Defectionem eius a rege Syriae verbis decoris obvolvit. Quae omnia eo plus admirationis habere mihi videntur, quia Polybius ea multis, septuaginta fere, annis postquam gesta erant, scripsit. Cur auctor studio tam vehementi inflammatus sit principis iamdudum mortui, cui nulla amicitia cum Achaeis fuerat, prorsus ignoramus.

Itaque dubitatione vacare reor, quin ea narratio de sorte Achaei ex aliquo fonte in Polybii libros transierit. Quem fontem quamvis occulte tamen significari puto. Ultimis enim in Achaei rebus duo viri locum principalem obtinuerunt, Melancomas Ephesius et Nicomachus Rhodius, qui Achaeo familiariter utebantur (VIII 17, 9); Sosibius autem Aegyptius Bolidi Creti, per quem Achaeo Sardibus incluso salutem afferre studeret, primum quidem litteras dedit, quibus Melancomae et Nicomacho quam diligentissime commendaretur; inprimis autem Melancomam huic rei operam dedisse inde manifestum est,

1) Cf. potissimum IV 48; V 57; 72—78; VII 15—18; VIII 17—23.

quod Ephesi, in urbe Sardibus vicina, viveret, cum Rhodus multo longinquior esset. Eandem ob causam Achaeus nuntios *τοῖς περὶ τὸν Μελαγκόμαν* (VIII 21, 4) se missurum esse pollicitus est. Quo magis mirum est quod, quo primo loco uterque commemoretur, Melancomas simpliciter nominetur (VIII 17, 9): *πρὸς Μελαγκόμαν εἰς Ἔφεσον*, Nicomachi et Achaei amicitia copiose illustretur: *πρὸς Νικόμαχον εἰς Ῥόδον, ὃς ἐδόκει πατρὸς ἔχειν διάθεσιν κατὰ τὴν εὔνοιαν καὶ πίστιν πρὸς τὸν Ἀχαιόν*. Quae verba, cum non ad sortem Achaei exponendam spectent, ab aliquo auctore conscripta esse censeo, cui res Nicomachi cordi erant, seu Nicomachus ipse postea libellum singularem his de rebus composuit, seu alius quidam Nicomachi amicus, seu Zenon uberius de Achaeo in historia sua egit.

4. De rebus Syriacis et Aegyptiis.

Cetera historia Syriae a Polybio descripta minimas ansas ad cognoscendos fontes praebet. Expeditiones ab Antiocho Magno in superiora Asiae institutae[1]) multas sane res singulas exhibent, unde Polybii auctores vel auctorem ea, quae hic narrantur, coram et suis oculis vidisse intellegitur. Utrum vero Polybius haec ipse ex testibus illis quaesiverit an Zenon vel alius quidam scriptor interponendus sit, in eis esse puto, de quibus certum iudicium ferri nequeat.

Scala (l. l. p. 262) duas particulas rerum Syriacarum Zenoni dedit: ac primum quidem Antiochi bellum cum Arsace gestum (X 27—31); et suo iure huius descriptionis tota natura primum auctorem ipsum huic expeditioni in exercitu Antiochi interfuisse indicari contendit; iniuria vero Polyxenidam Rhodium, qui sane in exercitu Syriaco erat (X 29, 6), Zenoni materiam praebuisse dixit. Hic enim dux militum etiam belli ab Antiocho cum Romanis gesti particeps erat[2]). Neque enim uterque Polyxenidas diversus, sed unus idemque erat; primum

1) Pol. V 40, 5—56, 15; VIII 25; IX 43; X 27—31; 48—49; XI 34; XIII 9.

2) Cf. Liv. XXXV 50, 7; XXXVI 8, 1; XXXVII 8 sqq.; App. Sy. 14; 22; 24; 27.

enim nomen eius apud Rhodios rarissimum fuit, cum in titulis Rhodiis omnino non occurrat. Polyxenidam vero anno 209 inter iuniores fuisse apparet, cum duobus milibus modo Cretum praeesset (X 29, 6); anno 190 summum gradum dignitatis ascendit, cum praefectus classis Antiochi esset. Quin etiam Scala ipse unum tantum Polyxenidam fuisse agnoscit provocando ad App. Sy. 14; 22; 27, quibus locis non ducis illorum Cretum, sed nauarchi mentio fit. At Scalam quaedam fugerunt, quae ad Polyxenidam cognoscendum gravissima sunt, Liv. XXXVII 8—11 dico et App. Sy. 24. Utroque loco idem fere traditur, cum uterque scriptor (cf. Nissen p. 190) Polybium exscripserit: Polyxenidas enim, exsul Rhodius, anno 190 paene totam Rhodiorum classem dolo et fraude perdidit. Quare eum unquam domum rediisse et Zenoni res gestas narrasse negaverim.

Deinde Scala etiam XVI 22 a Zenoni attribuit, quia ibi nimia arte oratoria de Gazae obsidionibus ageretur. Quod argumentum non satis firmum certumque existimo, quandoquidem vitium illud non Zenonis proprium, sed cum permultis scriptoribus commune erat.

Bella Syriae et Aegypti, inprimis in libro quinto (58—71; 79—87), quae eadem fere indole sunt qua historia Syriae domestica, fortasse secundum Zenonem Polybius tractavit, quod iam Valeton (p. 204) coniecerat.

Aegypti contra res[1]) ab omnibus ceteris partibus operis Polybiani differunt: huius auctoris paene nil interest nisi aula Alexandrina: meretrices et eunuchi, callidi homines aulici, reges voluptatibus dediti primas partes agunt. Semel tantum eadem indoles etiam in rebus Syriacis reperitur: XXVI 1: de moribus Antiochi Epiphanis; quod caput Scala (p. 262) optimo iure[2]) fonti Aegyptio assignavit. Ille vir doctus etiam uberius de auctore rerum Aegyptiarum egit, atque rectissime quidem, quantum perspicio; unum tamen, quod (p. 267) inde ab anno 200 fere fontem Aegyptium mutari censere videtur, improbo:

---

1) conferas inprimis V 34—39; 107; XIV 11—12; XV 25—34; XVI 21—22; XVIII 53—55; XXII 6—7; 22; XXVII 13.

2) videas etiam infra p. 64.

nam etiam post id tempus fragmenta Polybiana, quae ad Aegyptum pertinent[1]), eadem natura sunt atque priora. Ea sub finem rariora fieri concedo: in universum enim illa aetate studia hominum paulatim a regnis diadochorum aversa sunt, conversa ad Romam. Prorsus diversis autem fontibus ea debentur, quibus de commercio Romae et Aegypti agitur.

5. De librorum XI, XIII, XV reliquiis Rhodiis.

Libro undecimo (XI 4, 1—6, 8) orationem legimus, cuius initium periit; in codicis Urbinatis 102 margine manu altera adscriptum est: *δη* (= *δημηγορία*) *θρασυκράτους*, quod Hultschius[2]) iure nomen legati Rhodii esse censuit. Qui legatus nomine collegarum Rhodiorum, Aegyptiorum, Byzantiorum, Chiorum, Mitylenaeorum (XI 4, 1) Aetolos admonuit, ut pacem cum Philippo facerent. Civitates illae bello Macedonico primo bis adversarios reconciliare conabantur[3]); maximopere vero Rhodii et Chii vel inde a belli socialis temporibus identidem huic rei operam dederant[4]); quare hi optimo iure de se praedicare poterant (XI 4, 2): *οὐ γὰρ νῦν πρῶτον οὐδὲ δεύτερον ποιούμεθα πρὸς ὑμᾶς τοὺς ὑπὲρ τῆς εἰρήνης λόγους*. Quodsi inter Chium et Rhodum optio data est, legatum Rhodium contionem habuisse putare males, quandoquidem Rhodus multo potentior Chio fuit. Viri deinde est Rhodii (XI 4, 7) omnia bella inutilia esse dicere[5]); eodem modo etiam XXIX 19, 3 legati Rhodiorum dicunt: *διότι* (*ὁ πόλεμος*) *πᾶσι μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἀλυσιτελής*.

Principem legationis non Aegyptium esse, etsi illud regnum longe potentissimum erat illarum civitatum pacem petentium, pluribus ex causis cognoscitur: legatus suam quoque patriam ex illo bello detrimentum fortasse capturam esse fatetur (XI 4, 3 sqq.); XI 4, 6 Aegyptus prorsus silentio praetermittitur;

1) Cf. XXII 6—7; 22; XXVII 13; XXXIX 18.

2) in adnotatione editionis.

3) Cf. Liv. XXXVII 30, 4; XXXVIII 7, 13; App. Ma. 3: *δὶς συνῆλθον*.

4) Cf. Pol. V 24, 11; 28, 1; 100, 9.

5) In codicibus erat: *λυσιτελῆ*; iam Casaubonus *ἀλυσιτελῆ* restituit.

legatum Aegypti nunquam tam contemptim de barbaris Romanis verba facturum fuisse existimo (XI 5, 7 sq.), quia Aegyptus iam tunc cum Roma amicitiae vinculo coniuncta erat (Pol. IX 44; Liv. XXVII 4, 10).

Superest quaestio, sitne ea oratio genuina an supposita. Polybius ipse saepissime[1]) scriptori contiones non fingendas, sed *τὰ κατ' ἀλήθειαν ῥηθέντα* repetenda esse contendit; itaque, cum Polybius sane is sit, cui credamus, omnes eius contiones oportet fide dignas habere, si non ad verba, tamen ad sensum, donec eas subditivas esse demonstratum erit. Quod Welzhofer[2]) iure obtinuit. La Roche[3]) plerasque orationes a Polybio retractatas, illas vero, quae ad Rhodum spectant, in universum genuinas esse affirmavit; ita hanc quoque re vera habitam esse concessit, nisi quod in contumeliis, quibus Aetoli peterentur (XI 5, 1 sqq.), Polybium Achaeum cognosci voluit; mea sententia eadem etiam ab legato Rhodio dici potuerunt; praeterea similitudo, quae est de silva ardente (XI 4, 4—5) a Polybii more prorsus abhorret.

Inde a libro decimo tertio circiter Polybius maiore cum studio de rebus Rhodiis egit, quas inde a libro quinto omnino neglexerat. Sed cum antea ea separata a ceteris narrasset, iam quo longius in historia conficienda procederet, eo magis omnia inter se coniunxit.

Iam Valeton (p. 202) XIII 4—5 ex Zenone hausta esse dixit. Agitur XIII 3, 1—5, 6 de insidiis ab Heraclida classi Rhodiorum paratis; cum Polybii enarratio sub finem dilacerata sit, ad lacunas explendas Polyaeno (V 17, 2) utendum est, quem ex Polybio hausisse in promptu est[4]).

Ac primum quidem scriptor (XIII 3) morem bellorum honeste et decore gerendorum in dies evanescere queritur; quare Philippum optime sciisse, quid tempora postularent, quippe qui omnium generum fraudis et doli peritissimus

---

1) II 56, 10 sqq.; XII 25a, 3 sqq.; 25b, 1 sqq.; 25i, 3 sqq.; XXIX 12, 9; XXXVI 1, 1 sqq.

2) Fleckeisens Jahrbücher 121, p. 539.

3) Charakteristik des Polybios, pp. 44; 60; 63 sqq.

4) Melber (Fleckeisens Jbb. Sppltbd. XIV, p. 646) aut Polyaenum ex Polybio hausisse aut utrumque eodem fonte usum esse dicit.

fuisset; apud Romanos solos pristini moris boni vestigia extare (XIII 3, 7). Haec dicta Polybii, non Zenonis sunt, cum Polybius Romanos imitatione dignos esse praedicare soleat. Quin etiam, quanquam hic locus cum altero (XIV 5, 15) quodam modo discrepet, tamen utrumque a Polybio ipso originem ducere reor: Scipio enim maior dolo noctu instituto castris Carthaginiensium ignem iniecit; quod facinus minime boni moris pristini tamen Polybius multis laudibus extulit, tanquam illustrissima esset ex omnibus eius rebus gestis. Quam discrepantiam ita tollere possis, ut XIII 3 Zenoni, XIV 4—5 Polybio ipsi attribuas; quod non comprobo: utrumque Polybii est, qui nimio Romanorum et inprimis Scipionum studio eo perductus est, ut haec pugnantia inter se narraret[1]).

Ea contra, quae de Heraclidae moribus exponuntur (XIII 4, 3—8), ex Zenone originem ducunt, quem Heraclidae infensissimum fuisse per se patet. In criminibus autem, quae in homine isto collocantur, vel unum indicat odium acerbissimum hoc (XIII 4, 5): *πρῶτον μὲν γὰρ ἀναφανδὸν τῷ σώματι παρεκέχρητο.* Tales res Polybius alibi ne tangere quidem solitus Timaeo (XII 13—15) opprobrio dedit, quod plurimis verbis perscripsisset; potius res illas praetereundas esse silentio (XII 14, 2) voluit. Semel tantum, quod scio, Polybius istarum rerum praeterea mentionem fecit (XXXIX 7, 1), Pytheae Thebano eadem quae Heraclidae exprobrans; hic vero res prorsus aliter se habet: nam Pytheas socius erat Critolai et Diaei, ducum Achaeorum, quos Polybius ira vehementissima persequebatur; atque etiam saepius in rebus Achaeis scriptorem ea, quae optime sibi proposuerat, tamen neglexisse nemo ignorat. Heraclidae contra cur Polybius succensuerit, frustra quaeres. Haec porro animadvertas quaeso utroque loco scriptorem eadem verba usurpasse: (XIII 4, 5): *τῷ σώματι παρεκέχρητο κατὰ τὴν πρώτην ἡλικίαν* = (XXXIX 7, 1): *δοκῶν ἑαυτῷ παρακεχρῆσθαι τὴν πρώτην ἡλικίαν.* Unde manifestum est Polybium rem modo a Zenone mutuatum suis tamen ipsius verbis usum esse; itaque Zenonem ira in Heraclidam gravissima inflammatum verbosius ista tractasse non abnuerim.

1) Cf. Valeton pp. 147 et 179 sq.

Zenonem denique nobilem fuisse Rhodium, quod supra (p. 12) conieci, hoc quoque capite comprobatur, cum Heraclidae vitio detur, quia humilibus ex parentibus ortus (XIII 4, 4), ipse Tarenti sordido quaestui operam dederit (XIII 4, 6).

Ceterum Polybii XIII 5, 1—3 (cf. Polyaeni V 17, 2) Zenoni deberi videntur, cum Polybius ipse XIII 5, 4—6 de suis addiderit.

Pol. XV 23, 2—6 sine dubio Zenonis esse puto, quod vel ex tota describendi ratione accuratissima auctorem illis rebus interfuisse atque omnia coram vidisse apparet. At forsitan scriptorem non tam bene versatum esse in rebus Rhodiis putabis, quod dixit ὁ πρύτανις (XV 23, 4), cum plures prytanes Rhodi fuisse constaret[1]; at mihi illud ipsum vocabulum ὁ πρύτανις originem Rhodiam manifestissime prae se ferre videtur: nempe auctor eum ex prytanibus in animo habuit, qui praesidis munere fungeretur. Quoniam ea quae antecedunt (XV 21, 1—23, 1) cum eis quae modo tractavimus, artissime cohaerent, haec quoque Zenonica esse videntur.

6. De libro decimo sexto.

Hoc libro Polybius de Zenone iudicium tulit; quam censuram iam supra (p. 14 sq.) absolvimus. Multas autem scriptoris Rhodii reliquias hoc ipso libro inventum iri per se probabile est. Iam initium capiamus a pugna ad Chium commissa (anno 201), qua Philippus rex a Rhodiis et Attalo devictus est (XVI 2—9).

Atque primum quidem descriptio pugnae inter Rhodios et Philippum factae ex Zenonis libro deprompta est (XVI 4,

1) Plures prytanes simul munere functos esse satis constat; quod et ex rerum scriptoribus (Pol. XIII 5, 1; XXIX 10, 4; Diod. XX 98, 7) et ex titulis (CIRh. 49, 12; Mnemosyne I, p. 81, v. 91; Denkschriften d. kaiserl. Akad. d. W. zu Wien vol. 44, VI p. 109 sqq.) apparet. De numero prytanum multi viri docti egerunt; ceteris praetermissis hos nomino: Roſs, Inscr. ined. III, n. 275; Roehl, Mitt. a. Ath. II 226; Schumacher, De re publica Rhodiorum, p. 46; Mendelssohn, Jahrb. f. Philol. 1891, p. 346, adn. 3; Wilhelm, Denkschriften der Wiener Akad. d. W. vol. 44, VI p. 109 sqq. Atque hoc quidem certum esse videtur collegia senorum prytanum per senos menses magistratum gessisse, unum autem ex his praesidem fuisse.

4—5, 7; 9); ubi narratio Zenonica aut non aut paululum tantum mutata est. Auctor enim cum ex Macedonibus neminem nominatim afferret, Rhodios satis multos enumeravit: Theophiliscum[1]), classis ducem (XVI 4, 6; 5, 1; 5, 4; 9, 1 sqq.); Cleonaeum[2]), qui illi in imperio successit; praeterea nonnullos Rhodios, qui virtute excellebant: Philostratum, navis praefectum (XVI 5, 1; 5, 6); ex una denique navi vel duos viros Autolycum gubernatorem (XVI 5, 1 sqq.) et Nicostratum (XVI 5, 1), qui quod munus gesserit, mihi quidem non plane perspicuum videtur.

Navium genera diligenter explicantur, ut XVI 5, 1: *τρεῖς πεντήρεις ἥ τε ναυαρχὶς κτλ.*, et de aliis navibus XVI 5, 4: *μετὰ τριῶν πεντήρων.* Ut Rhodium rei navalis peritum decet, auctor magna scientia et arte in describendis navium motibus est, Rhodiorumque habilitatem et exercitationem saepius[3]) praedicat.

Vel maxime vero scriptor Rhodius alacritate et laetitia proditur, qua de singulis Rhodiis, qui fortitudine praeter ceteros floruerunt, disseruit, XVI 5, 2—3 de Autolyco, XVI 5, 6 de Philostrato; atque uberrime scriptor de morte Theophilisci, cui vel maxime favit, narravit (XVI 5, 4—7; 9, 1 sqq.); cuius fortunam tanta diligentia exposuit, ut ne hoc quidem enarrare neglegeret, quot ille vulnera accepisset (XVI 5, 6). Totum autem caput XVI 9 de hoc viro fortissimo solo est.

Hactenus de pugna Rhodiorum et Macedonum. Res ab Attalo gestas ab Rhodiis aperte separari concedo. Neque tamen aliam ob causam hoc factum est nisi quod utrumque proelium spatio satis lato seiunctum erat; quod cognoscitur cum ex toto pugnae ordine, tum ex Polybio ipso testante duas pugnas fuisse longo intervallo inter se disiunctas (XVI 5, 8). Igitur hae partes tres secernendae sunt:

a) quae Rhodii et Attalus una gesserint, XVI 2; 5, 8—9; 6, 9—8, 10.

b) quae Attalus gesserit, XVI 3, 1—4, 3; 6, 1—8.

c) quae Rhodii gesserint, XVI 4, 4—5, 7; 9.

---

1) Cf. appendicem 1 k.

2) Cf. appendicem 1 f.

3) XVI 4, 4—5; 4, 8; 4, 10—15; 5, 1—7.

Neque tamen Polybium prioribus partibus (a et b) alium auctorem, alium tertia parte (c) secutum esse inde efficitur, quod omnibus tribus partibus eadem indicia atque insignia occurrunt.

Nomina nimirum Pergamenorum multo rarius memorata sunt, quam Rhodiorum, cum lectoribus Rhodiis milites Attali non tantopere cordi fuissent, quantopere ipsorum populares; quare duo Attali classi praepositi soli nominantur (XVI 3, 7).

Virum vero rerum navalium peritissimum Zenon hic quoque eadem ratione se praestitit qua iam antea; primum enim generum navium accurate rationem habet[1]); deinde in explicanda navium pugna iisdem verbis utitur atque antea; exempli gratia haec contuli: XVI 3, 2: *προεμβαλὼν — ὕφαλον πληγήν* = XVI 4, 12: *ὕφαλα τὰ τραύματα διδόντες*; XVI 3, 8: *ἔξαλον ἔλαβε τὴν πληγήν* = XVI 4, 12: *ἐξάλους ἐλάμβανον τὰς πληγάς*; XVI 2, 8: *ἀντιπρώρρους ποιεῖν τὰς ναῦς* = XVI 4, 7: *ἀντιπρώρρους τάξαντες τὰς ναῦς* = XVI 4, 11: *κατὰ δὲ τὰς ἀντιπρώρρους συμπτώσεις*. Denique locutio rarissima, quae alibi nusquam, quantum memini, in Polybii historiis occursat, bis hac in pugna exponenda usurpata est, primo in particula quadam Rhodia (XVI 4, 11): *ἐποίουν τι τεχνικόν*, paulo post in parte Pergamena (XVI 6, 6): *ἐποίησάν τι τεχνικόν*. Etiam plura *ἅπαξ λεγόμενα* ex Polybii Rhodiacis infra (p. 63 sq.) collegi.

Ut inter Rhodios Theophiliscus, ita inter Pergamenos Attalus ipse principem locum obtinet; cuius fortiter facta summa cum industria tractantur (XVI 3, 2; 3, 10; 6, 1—8). Cum vero nimis audax a Philippo paene captus sit, tantum abest, ut vituperetur, ut etiam laudetur ob prudentiam, qua ex periculo evaserit.

Una deinde re etiam in eis quae Attalus atque Rhodii una gesserunt, describendis auctorem quasi in navi Rhodia vectum esse indicatur: postquam enim post pugnam Pergameni ad Asiae litus (XVI 6, 11), Rhodii ad Chium (XVI 6, 13) classes constituerunt, postero die socii iterum Philippum ad pugnam provocabant (XVI 8, 4 sq.); quod cum frustra fecis-

1) Pol. XVI 2, 9; 3, 2; 3, 3; 3, 4; 3, 6; 3, 7; 6, 2; 6, 4; 7, 1—4.

sent, iterum Chium redierunt (XVI 8, 5): *πάλιν ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Χίον*. Vocabulum illud *πάλιν* ad Rhodios solos spectare perspicuum est.

Neque vero ab omni errato Polybius cavit, cum nonnulla, quae supra in pugnae narratione invenirentur, infra in indice navium (XVI 7) ab utrisque amissarum frustra quaererentur. Sunt enim haec: Attalus unam Macedonum octeren demersit (XVI 3, 2); altera octeris Philippi a Pergamenis capta est (XVI 3, 8—11); ex Attali navibus duae quadriremes captae sunt a Philippo (XVI 6, 1—5). Quae quattuor naves in tabula navium amissarum desiderantur. Cum adhuc tertium solum vitium cognitum esset, Meibomius[1]) medelam afferre conatus est inserendo (XVI 7, 3): *ἥλωσαν δὲ δύο τετρήρεις*. Si cetera quoque vitia eodem modo tolleremus, primum quidem vocabulum *ὀκτήρης* (XVI 7, 1) inter *ἐννήρης* et *ἑπτήρης* adderemus, deinde fini eiusdem paragraphi adiungeremus: *ἥλω δ' ὀκτήρης*. Cum omnes tres coniecturas reiciam, magis placet Polybium ipsum haec vitia commisisse cum fontes diversos non satis diligenter componeret. Descriptionem enim pugnae scriptor ex Zenonis libro, indicem navium amissarum ex tabula quadam, fortasse prytanei Rhodiorum (XVI 15, 8) sumpsisse videtur[2]).

Si Polybium in gravissima pugna ad Chium commissa Zenone usum esse agnoveris, in ceteris quoque huius belli partibus scriptorem Rhodium adhibitum esse veri simile esse concedes. Neque tamen hoc aperte demonstrari potest: plurima enim perierunt, paucissima relicta sunt. Vel vehementissime autem dolendum est, quod ea, quae Polybius de pugna Ladensi (cf. p. 7) scripserat, desunt. Nam fragmentum 33, quod Schweighaeuser ad hanc pugnam retulerat Arcesinen, Amorgi oppidum, prope Laden fuisse contendens, huc spectare non puto, quandoquidem Arcesine longius centum milibus metrorum ab Lade abest.

Iam de reliquiis Polybianis eius belli exilibus agam. XVI 1 Philippus rex vehementissime increpatur, quod Attali regnum

---

1) Graevii Thesaurus Antiq. Rom. XII 679.

2) De pugna ad Chium commissa cf. etiam appendicem 3.

vastans ne templis quidem pepercerit. Quae Polybii ipsius esse vel inde cognoscitur, quod etiam supra (V 9—12) auctor ira acerrima in regem exacerbatus erat, quia ille ne a templis quidem manum abstinuisset. Etiam XVI 10 Polybii ipsius esse censeo.

Zenonis tamen vestigia in Pol. XVI 11, 1—12, 2 (cf. etiam Polyaeni IV 18, 1—2 et Appiani Ma. 4) comparent. Primum enim per se levia illa proelia in Rhodiorum Peraea facta inprimis a Zenone diligenter descripta esse dilucet. Deinde Zenon aptissimus erat, qui Iasios Argivorum colonos esse affirmaret (Pol. XVI 12, 2): Polybius enim eius modi res rarissime memoravit; multo melius haec Zenoni dabis, quem Diodorus (V 56, 7) de fabulis Rhodiis narrasse testatur; Rhodo autem originem ab Argis ducente (Pol. XXI 24, 11 = Liv. XXXVII 56, 7) lectorum Rhodiorum sane intererat audire Iasum quasi Rhodi sororem esse.

Quaecunque Philippus fine autumni anni 201 in Peraea Rhodiorum gessit, Polybius secundum morem suum initio anni 200 tractavit, XVI 24; quae cum eadem indole sint, qua XVI 11, 1—12, 2, ea Zenonica esse reor: Philippus rex cum lupo fame laborante (XVI 24, 4) comparatur et cum cane insidioso (XVI 24, 5). Quibuscum convenit Rhodios laudari, quia bellum fortiter et strenue gerant (XVI 24, 1). Quod contra paulo post (XVI 28, 3, cf. Liv. XXXI 15, 9—16, 3) Rhodii ob pigritiam vituperantur, non est cur offendamus; nam illud (XVI 24, 1) spectat ad annum 201, hoc (XVI 28, 3) ad annum 200, postquam curam belli Romanis se tradidisse Rhodii opinati sunt (cf. etiam Pol. XVI 28, 4 sqq.).

Attalum et Rhodios hieme 201/200 Athenas venisse narrant Polybius (XVI 25—26) et Livius (XXXI 14, 11—15, 7); Livius in universum verba Polybiana in linguam Latinam transtulit[1]), ordinem vero rerum, qualem Polybius exhibet, paululum turbavit. Quare non adhibendus est nisi eis locis, quibus Polybii excerptor textum scriptoris in brevius contraxit.

---

1) Cf. Nissen, p. 11 et 121—125; Tillmanns, Disputationis, qua ratione Livius Polybii historiis usus sit, part. I, p. 47 sq.

Rhodios vero mira quadam ratione neglectos esse intelleges: quanquam cum Attalo Athenas venerunt, tamen priore die plane omittuntur, alterius sub finem tandem paucis verbis quasi obiter tanguntur (Pol. XVI 26, 8—10). Antea in solum Attalum laudes et praemia congeruntur, ut usque ad XVI 26, 7 regem sine Rhodiis Athenas venisse putandum sit. Extremis tandem verbis (XVI 26, 8—10) Rhodii brevissime absolvuntur, cum eos prorsus praetermittere non liceat; nam illorum praecipue opera effectum esse videtur, ut Athenienses se in sociorum amicitiam et fidem conferrent. Hoc igitur constat maximam huius narrationis partem (XVI 25, 1—26, 7) a fonte alienam esse Rhodio; itaque Valetonis sententia displicet, qui totum caput XVI 26 ex relatione legatorum Rhodiorum sumptum esse dixit (p. 213). An testi cuidam Atheniensi tribuenda sunt illa? Finis autem (XVI 26, 8—10) et eiusdem auctoris esse potest atque priora, et cum facillime a ceteris separari possit, alterius.

Etiam brevi post (XVI 27, 2) Polybius Rhodios silentio praeteriit, etsi eis Philippus si non maius at certe non minus detrimentum intulerat quam Attalo. Hoc autem loco neglegentia excerptoris post *Ἄτταλον* excidisse reor *καὶ Ῥοδίους*, collatis hisce locis Pol. XVI 34, 3: *εἰς Ἄτταλον καὶ Ῥοδίους* et App. Ma. 4: *ἐς Ῥοδίους ἢ Ἀθηναίους ἢ Ἄτταλον*.

Neque cum Abydi expugnationem tractaret, Polybius (XVI 29—34; Liv. XXXI 17—18) Zenonis librum inspexisse mihi videtur. Rhodiorum enim, qui inter oppidi defensores erant, rarissime et brevissime (Pol. XVI 31, 3 et Liv. XXXI 17, 3; 17, 6) mentio fit; res ab eis gestae silentur.

Pol. XVI 35 Valetonem (p. 211) secutus tabulis publicis Achaeorum attribuo.

7. De bello Macedonico altero.

Haec diversitas manifestissima animadvertitur: aestate anni 201 Rhodii sine dubio primas partes egerunt; inde ab hieme proxima 201/200 paene evanescunt neque ante annum 190 in conspectum clariorem redeunt.

Romanorum, qui anno 200 ad bellum accesserunt, annis

proximis maximam nimirum rationem Polybius duxit non tam Zenone quam aliis auctoribus novis usus. Verum etiam altera ex causa minuuntur Rhodiaca: nam pro Polybii ipsius descriptione huius aetatis deperdita Livii historia uti cogimur, quem sane omnia, quae ad Graeciam pertinent, ex Polybio sumpsisse constat; earum vero rerum, quarum nostra inprimis interest, plurima omisit, saepius (XXXIII 20, 13 et XLI 25, 8) confitens non suum esse diligenter exponere, ut quaeque in Graecia gesta essent, viribus ad res Romanas scribendas vix sufficientibus. Quo factum est, ut de maximo et perniciosissimo terrae motu, qui anno 197 et Rhodum et multas alias civitates Graeciae percussit, praeter Iustinum (XXX 4, 3) apud nullum scriptorem quidquam extaret.

Quare illis annis de Rhodo nil fere audimus nisi quot naves eorum rebus a sociis gestis interfuerint, quique viri eis praefuerint (Liv. XXXI 22, 8; 46, 6; 47, 2; XXXII 16, 6). Facta Rhodiorum tacentur uno hoc excepto: anno 200 Chalcide a sociis capta 'carcer etiam ab Rhodiis refractus emissique captivi' (Liv. XXXI 23, 9). His verbis tenuissimis non omnia iterata esse quae Polybius tot per annos de Rhodiorum rebus dixerat, nemo negabit, praesertim cum ex annorum et 201 et 190 expositionibus efficiatur illum diligentissime de bello navali disseruisse. Quid quod etiam apud Livium ipsum vestigia extant, unde Polybiana quaedam intercidisse concludendum sit? Primum vero hoc suspicionem movet, quod eo temporum ordine, qualem Livius praebet, anno 199 etiam classis Romana ne uno quidem verbo memoratur, cum anno 200 res navales luculentissime et copiosissime enarrentur. Quod ideo mirum est, quia classis Romanorum illo ipso anno 200 ex Italia in Graeciam venit. Quibus rebus Nisseni fidem augeri reor demonstrantis (p. 130 et 132) ea quae socii duobus annis 200 et 199 terra marique gesserint, a Livio in unum annum 200 contracta esse: itaque a Romanis anno 200 classicula, cui C. Claudius Centho praeerat, ante classem magnam in Graeciam praemissa (Liv. XXXI 14, 3 et 22, 5) cum Attalo et Rhodiis Chalcidem expugnavit. Circa Liv. XXXI 28 hic annus 200 iam confectus est, cum iam hiems sit (28, 3); etiam apud Livium XXXI 33, 2 classis in hibernis est.

Nisi hac ratione Livii verba (XXXI 28, 4) intellegi non possunt, qui dixit ad Rhodios legatos missos esse, ut belli partem capesserent. Quod medio anno 200 accidisse nequit Rhodiis apud Romanos versantibus (XXXI 22, 8 et 23, 9). Postquam vero classis Rhodia autumno 200 domum rediit, Romani timentes, ut vere ineunte Rhodii iterum auxilio venirent, hieme 200/199 hos legatos miserunt (XXXI 28, 4). Quod Romanos non sine iusta causa veritos esse existimo, quoniam Rhodii anno 199 tarde (Liv. XXXI 46, 6), diu cunctati officium praestiterunt bello navali fere confecto (XXXI 44 sq.). Quae omnia non tam apud Livium expressis verbis leguntur quam coniecturis expedienda sunt.

Ex proximis etiam clarius perspicitur, quam manca Livius de Rhodiis nuntiaverit: classis Rhodia, cum ad Romanos venisset, Zelasiam missa est, ubi classem Macedonum, quae Heraclida praefecto ad Demetriadem in ancoris stabat, custodia contineret (Liv. XXXI 46, 6 sqq.). Quomodo Rhodii mandatum illud difficillimum exsecuti sint, scriptor omnino non narrat: nimirum hoc salvo officio se omissurum esse censuit, cum illis in rebus describendis nil inesset, quod ad proprias Romanorum laudes pertineret. Brevissime Rhodios autumno domum remissos esse (XXXI 47, 2) additur.

Etiam planius Livii ratio anno proximo 198 patet: Rhodii se cum Romanis coniunxerunt (XXXII 16, 6); utrique cum Achaeis de foedere faciendo egerunt (Liv. XXXII 19, 3—23, 1; App. Ma. 7). Inde ab illo vero temporis momento Rhodii prorsus evanuerunt: nam totum bellum navale a Romanis et Attalo solis secundum Livium XXXII 23, 4 sqq. gestum est. Quid Rhodii hoc anno fecerint, coniectura tantum colligendum est: cum ne Macedonica quidem classis commemoraretur, hoc quoque anno Rhodios ad Heraclidam custodiendum delegatos prospere muneri satisfecisse puto. Bello huius anni confecto Rhodii rursus apparent hieme 198/197 (Pol. XVIII 1, 4 = Liv. XXXII 32, 11).

Quae cum ita sint, non iam stupor te invadet in rerum quae anno 197 mari gestae sunt enarratione nihil de Rhodiis audientem (Liv. XXXIII 16—17). Unde Rhodios illo anno

Romanorum classi defuisse concludere minime licet: bellum enim in Peraea (Liv. XXXIII 18) non ipsi, sed copiis mercennariis usi gesserunt; quare eos navibus ad classem Romanam mittendis supersedisse putare non opus est.

Rhodiorum, quos Livius ipso bello Macedonico nimis neglexit, tamen Polybium rationem duxisse digressione ostenditur, quam nunc tractaturus sum. Propria enim belli descriptione perfecta minora quaedam, quae supererant, Polybius expedivit; eodem modo quo illum saepissime nova verbis hisce: *κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιρούς* prioribus adiunxisse invenies, etiam Livius (XXXIII 18, 1) exordio usus: 'iisdem diebus'[1]) de rebus a Rhodiis in Peraea anno 197 gestis refert. Quas ex Zenonis libro a Polybio assumptas esse in promptu est; expeditioni enim illi levissimae vis maxima tribuitur: singuli milites Pausistrati, Rhodiorum ducis, paene digitis computantur (XXXIII 18, 2—3; 18, 5); qua ratione acies Rhodiorum parva instructa sit (XXXIII 18, 9—11), summa cum cura exponitur, tanquam pugna praeclara agatur. Auctorem in rebus a Rhodiis non solum illa aetate, sed et antea et postea gestis bene versatum esse duobus locis discimus, primo (XXXIII 18, 1), quo iam antea Peraeam sub Rhodiorum maiorum dicione fuisse, altero (XXXIII 18, 22), quo Stratoniceam aliquanto post per Antiochum receptam esse contenditur. Quapropter Polybius hanc narrationem non Achaeorum cuiquam, quorum permulti (XXXIII 18, 5) in Rhodiorum exercitu erant, sed Zenoni debuit. Quodsi vero Rhodiis crimini dedit eos bellum non satis strenue ad finem perduxisse, id ipse addidit.

8. De pace cum Philippo facta.

Flaminino et Philippo de pacis condicionibus in sinu Maliaco frustra colloquentibus hieme 198/197 cum alii tum Acesimbrotus[2]), classi Rhodiae praefectus, aderat (Pol. XVIII 2, 3 sq.; Liv. XXXII 32, 11). Quae hic vir a Philippo postulaverit, tanta diligentia repetuntur (Pol. XVIII 2, 3—4;

1) Cf. etiam Liv. XXXIII 14, 1; Nissen p. 141.

2) Cf. appendicem 1 b.

Liv. XXXII 33, 6—7), ut ea ex tabulis publicis deprompta esse probabile sit.

Ceteroquin res Rhodiorum multo brevius tractantur, velut in condicionibus pacis constituendis, Pol. XVIII 8, 9, ubi Euromus et Perinthus et Sestus et Abydus et Asiae emporia et portus supra nominata (Pol. XVIII 2, 4) nullo vestigio relicto perierunt. Quarum disceptationum de plerisque a viris, qui coram fuerant, ex. gr. ab Aristaeno et Xenophonte Achaeis (Pol. XVIII 1, 4) Polybium certiorem factum esse reor nisus potissimum narratiunculis illis XVIII 1, 6—9 et 5, 1—7, 6.

Fragmentum hoc Polybianum codice Urbinate continetur; quae excerpta vetera Nissen (p. 2 et 7) multo praestantiora esse contendit excerptis Constantinis; itaque etiam hic Livius cum Polybio adeo congruit, ut eum verba scriptoris Graeci in sermonem Latinum vertisse dicere possis; unum tamen Livii additamentum mirum videbitur: apud Polybium XVIII 2, 3 enim frustra quaeres, quid verbis Livii respondeat quae lineolis inclusi hisce (XXXII 33, 6): Rhodii Peraeam — regio est continentis adversus insulam, vetustae eorum dicionis — repetebant. Livium haec ex alio auctore in Polybiana inseruisse nemo opinabitur, quoniam ille semper de re una uno fonte utebatur. Quapropter aut ex vetere excerpto Polybiano aliquid periit, aut, si hoc mavis, Livius haec, quae alio loco apud Polybium legerat, hic inseruit. Nam Polybius saepius Peraeam iam pridem Rhodiorum fuisse significavit[1]).

Titulo illo Rhodio (CIRh. 1036): — *ἀνακτησάμενος τὰν Πισυῆτιν χώραν κτλ.* demonstratur Rhodiis ante illius inscriptionis aetatem in Asia iam possessiones fuisse; cum vero Hillero de Gaertringen[2]) non contigerit, ut certis argumentis eam anno 197 compositam esse demonstraverit, certi quidquam ex titulo colligere nondum licet. Ex foedere inter Rhodum et Hierapytnam anno fere 220 facto[3]) apparere videtur, iam illis temporibus aliquantum continentis regionis sub Rho-

1) Pol. XVIII 6, 3 = Liv. XXXII 34, 8; Liv. XXXIII 18, 1; praeterea legas Diod. XIX 64, 5 collato Treubero, Geschichte der Lykier p. 145; Polyaen. IV 18, 1; App. Ma. 4.

2) Cf. appendicem 1 g.

3) v. Mnemosyne I 79 sqq.

diorum dicione fuisse; convenerat enim inter illas civitates, ut Rhodii neminem praeter Hierapytnios ἐκ τᾶς Ἀσίας (vv. 83 sqq.) milites conquirere sinerent.

Pol. XVIII 10, 7 sqq. undique ad senatum Romanum legati mittuntur: a duce Romano, ab Aetolis, Achaeis, Attalo rege, quin etiam ab Atheniensibus; Rhodii absunt; utrum iam apud Polybium defuerint, an excerptoris culpa omissi sint, pro certo diiudicari nequit Livio (XXXII 36, 10) non singulas legationes, sed in universum tantum 'sociorum legatos' commemorante.

Iam Polybium Rhodios silentio praeteriisse ideo tamen maiorem probabilitatem habere censeo, quod eos etiam in pace re vera facta mirificum in modum prorsus neglexit[1]). Unum, quod Livius (XXXIII 30, 11) de eis narraret, non ex fonte Rhodio, sed variis mendis depravatum ex Valerio Antiate fluxisse Nissen (p. 146) docuit.

9. De bello Nabidi illato.

Ratio, qua Polybius Zenonis libro usus sit, animadvertitur haec: scriptor Rhodius Polybio auctor atque testis fuit rerum in Asiae maribus gestarum; in bellis, quae in Graecia ipsa facta sunt, describendis aliis ex fontibus hausit. Quod etiam expeditione in Nabidem tyrannum facta comprobatur. Quamvis copiose id bellum explicetur (Liv. XXXIV 22, 4—41, 10), tamen quia Polybius auctores Achaeos secutus est, de rebus a Rhodiis gestis omnino nil memoriae proditur. Atque id eo magis miraberis, quod classis Rhodiorum haudquaquam aspernanda duodeviginti navium bello intererat[2]). Quorum de factis nil audimus.

10. De bello Syriaco.

Multo uberiores Zenonis reliquiae in bello Syriaco restant. Iam Romanis atque Antiocho sensim ad inimicitias descendentibus anno 197 Rhodii inter ceteros excellunt[3]). Auctor

---

1) Pol. XVIII 36—39; 42—48; cf. Liv. XXXIII 12—13; 27—35.

2) Liv. XXXIV 26, 11; 29, 4; 30, 7; 35, 2; 40, 7.

3) Pol. XVIII 41a, 1 = Liv. XXXIII 20; cf. Nissen p. 63.

Rhodiis benevolentissimus, quantum studium illi ad Graecos liberandos contulerint, identidem disertis verbis praedicat[1]). Livium aliis locis Rhodios aspere et inclementer tractantem vix ex verbis his panegyricis (XXXIII 20, 1) recognoscimus: 'multa egregie Rhodii pro fide erga populum Romanum proque universo nomine Graecorum terra marique ausi sunt; nihil magnificentius quam etc.' Neminem equidem praeter scriptorem Rhodium merita ea tanti facturum fuisse reor, quoniam Rhodii non suo periculo Antiocho obsistebant, sed Romanorum praesidio valido tegebantur. Praeterea origo Rhodia probatur eo, quod inter Rhodios et Syriae reges iam antiquitus amicitiam fuisse demonstratur (XXXIII 20, 7); qua in re auctor non casu, sed voluntate vocabulis foederis vel societatis vitatis de vetustis iuribus tantum scripsit, cum Rhodii foederibus firmis spretis id agerent, ut omnes civitates amicitia contingerent[2]). Praeter Rhodios eorum socii seorsum nominantur, quod etiam supra factum esse vidimus (Pol. IV 50, 5; 52, 5).

Rhodium vero auctorem etiam clarius perspiceres, nisi Livius tantopere Polybii verba in angustum coëgisset. Ille enim facta Rhodiorum, quae in fonte suo verbose tractata invenit, se repetere nolle expressis verbis dixit (Liv. XXXIII 20, 13); etiam enumerationem castellorum ab Antiocho in Cilicia expugnatorum Livius mediam abrupit (XXXIII 20, 5): 'omnibus his aliisque — castellis — in deditionem acceptis'.

Annis proximis de Rhodiis fere nil comperimus bello in Graecia gesto. Anno 191 maxima aestatis parte iam confecta post pugnam ad Corycum commissam Rhodii cum sociis se iunxerunt (Liv. XXXVI 45, 5); statim domum remissi sunt (Liv. XXXVI 45, 6); neque eos hoc anno alibi stetisse, sed tam sero tandem domo ad classem venisse apparet ex Livio XXXVII 9, 5.

Polybium contra ad bellum navale anni 190 Zenone potissimum auctore usum esse iam pridem perspexerunt Nissen (pp. 71; 192—194) et Valeton (p. 202). Quibus de rebus

---

1) Pol. XVIII 41 a, 1 = Liv. XXXIII 20, 3; praeterea Liv. XXXIII 20, 11; 20, 12.

2) Pol. XXX 5, 6—10 = Liv. XLV 25, 9—10; Diod. XX 81, 2.

paucissima tantum Polybii fragmenta servata sunt; longe plurima ex Livio discimus.

Apud Polybium XXI 7, 1—4[1]) machinae Rhodiorum igniferae diligentissime explicantur. Quae tamen Zenoni attribuere non necesse est, quoniam Polybius ipse eas machinas fortasse Rhodi suis oculis inspexit, praesertim cum tales res artificiosas ei cordi fuisse notum sit. At ea, quae de ingeniis et moribus Pamphilidae et Pausistrati Rhodiorum disseruntur (Pol. XXI 7, 5), Zenonis esse veri simile concedes; sententiam, quae sequitur (XXI 7, 6—7), a Polybio ipso additam facile cognosces. Idem autem fragmentum, quamvis sit breve, tamen aperte cum narratione Liviana (XXXVII 12, 9) discrepat: Polybius enim Pausistrato, duci audaci, opponit Pamphilidam, Livius Eudamum[2]). Uterque, et Pamphilidas et Eudamus, anno 190 inter praefectos classis Rhodiae erat[3]). Livii errorem subesse existimo, cum ille etiam infra[4]) vitio simillimo nomina confuderit. Huc accedit, quod Eudamum virum fortem atque intrepidum fuisse aliis ex locis manifestum est[5]).

Quomodo Livius relationem Polybianam in brevius contraxerit, bene intellegitur ex Polybio XXI 10, 5: *οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Εὔδημον καὶ Παμφιλίδαν οὐκ ἀλλότριοι τῆς διαλύσεως ἦσαν*, quibus verbis apud Livium haec tantum respondent (XXXVII 19, 1): 'Rhodii haud aspernari pacem'. Quae cum ita sint, cum Schweighaeusero facio fragmentum Polybianum 160 ad Eudamum spectare contendente, etsi Livius (XXXVII 22 sqq.) eius rei mentionem non fecit. Verum etiam ex Livio solo eum nonnulla omisisse apparet; nam XXXVII 19, 1 Romani, Eumenes, Rhodii coniuncti sunt; deinde XXXVII 19, 8 Romani et Eumenes Adramytteum navigant, Rhodii desunt; at eos una fuisse cognoscitur ex Livio eodem (XXXVII 21, 6), qui Romanos ex eadem expeditione rediisse narrat cum Eumene Rhodiisque. Denique Livium auctoris sui narrationem circumcidisse ex ipso (XXXVII 10, 1) animadverti reor: 'Poly-

1) Cf. Liv. XXXVII 11, 13; App. Sy. 24.
2) Cf. appendicem 1 e.
3) Pol. XXI 10, 5; Liv. XXXVII 22, 3; 23, 8; 24.
4) Cf. appendicem 1 h.
5) Liv. XXXVII 23, 10; 24, 4; 24, 6 sqq.

xenidas, erat autem exsul Rhodius'; nam pluribus verbis de causis exsilii Polyxenidae Polybium egisse ex Appiano (Sy. 24) sequi puto, quippe qui hoc significaverit hisce: καί τισιν αἰτίαις ἐκπεσὼν τῆς πατρίδος.

Nihilominus tamen etiam ex eis, quae Livius ex Polybio excerpsit, manifestissime Zenonis vestigia patent: ac primum quidem bellum navale huius anni 190 solito plenius perscribitur; classis Rhodia, quod Nissen (p. 192) iam exposuit, primas partes agit[1]), secundas Romana, tertias Pergamena. Cum iam Nissen (p. 192—194) Zenonem subesse optime monstraverit, eadem repetere mittam. At fortasse e re erit enucleare, utrum hic eadem indicia inveniantur necne, quae aliis locis Zenonis esse supra ostendere studui; exemplis autem utar diversis, quoad possum, ab eis, quae Nissen attulit.

Hic quoque navium numeri et genera, praeterea nomina ducum tanta diligentia referuntur, ut accuratissime omnium navigiorum Rhodiorum ratio reddatur navibus Romanorum et Eumenis multo parcius tractatis. Quare ad Zenonis fidem explorandam utile esse duco examinare, sintne numeri hic occurrentes veri necne. Iam videamus.

Vere anni 190 Rhodii 36 naves ad bellum navale gerendum miserunt (Liv. XXXVII 9, 5). Quae classis magna ad Panhormum paene tota periit, 5 tantum naves Rhodiae effugerunt (XXXVII 11, 13); quas ut augerent, Rhodii bis denas naves miserunt, quibus assumptis classis ex 25 navigiis constat. Deinde ter binae naves dimittuntur (13, 11; 14, 3; 14, 4), quae omnes 6 simul ad classem revertuntur (14, 5), ut iterum 25 naves sint. De quo numero 4 naves deducendae sunt, quae cum Livio in Lyciam navigarunt (16, 1), 21 navibus apud Romanos relictis. Cum quattuor illis quadriremibus 3 novae Rhodo missae se coniungunt (16, 3). Iam vero quod sequitur summam suspicionem movet Livio dicente has 7 naves Rhodias ex Lycia redeuntes domum dimissas (16, 13) esse media aestate. Qui locus praeterea ideo suspectus est, quod duae naves Smyrnaeae, quae eidem expeditioni interfuerant (16, 1), plane celantur. Maiore belli parte etiam instante naves illas domum rediisse

1) Cf. Liv. XXXVII 10—11; 12, 7—9; 22, 2—24, 12; 30.

ab omni probabilitate abhorret. Quas cum ad classem magnam rediisse multo veri similius sit, iam eum numerum, qui efficeretur, si ad Romanos eas rediisse Livius dixisset, uncis inclusum alteri numero addam: quapropter tunc 21 (28) naves Rhodiae classi Romanorum aderant; ex quibus 13 in Lyciam ablegantur (22, 2), relinquuntur igitur 8 (15) apud Romanos.

Ad expeditionem Lyciam Rhodii identidem alias novas naves Rhodo miserunt (22, 3—4); itaque tota classis in Lyciam ablegata ex his navibus constat: $13 + 13 + 4 + 6 = 36$. Quocum altera Livii earundem navium computatio (23, 4) congruit: $32 + 4 = 36$. Haec classis, postquam nulla navi amissa Hannibalem ad Sidam[1]) vicit, Rhodum revecta est. Unde ad Patara $20 + 4 = 24$ naves (24, 12 et 25, 3), ad Romanos 7 tantum (24, 13) mittuntur.

Cum classe Romana igitur tunc 15 (22) naves Rhodiorum stabant; peropportune vero cadit, quod Livius etiam numerum navium Rhodiarum tradidit (30, 1), quae pugnae ad Myonnesum factae intererant: 'ab Romanis octoginta naves pugnabant, ex quibus Rhodiae duae et viginti erant'. Qui numerus vitiosus est, si Livii testimonia priora sequimur; emendatus contra et verus, si illam notam numeri uncinis circumdatam ratam arbitramur, si igitur vocem 'domum' (Liv. XXXVII 16, 13) errore scriptam ducimus, sive Livius ipse, cum verba Polybiana in sermonem Latinum verteret, vitium commisit, sive librarii aliquid peccaverunt; nam si leges 'Samum' pro 'domum', ilico vitium sanatum erit; Samus enim ὁρμητήριον classis Romanorum erat[2]).

Ducum Rhodiorum non solum nomina memorantur, sed etiam ingenia et mores certis signis describuntur, id quod idem iam in Theophilisco (Pol. XVI 9) vidimus. Hoc vero

---

1) Prorsus aliter Cornelius Nepos pugnam ad Sidam commissam exposuit (Hannibal VIII 4): Livii testimonio Hannibalis tota classis devicta est; Nepos Hannibalem eo cornu, cui ipse praefuit, superiorem discessisse contendit. Idem Nepos Hannibalem paucis tantum navibus praefectum fuisse narravit, cum Livius (XXXVII 23, 5) disertis verbis declararet Hannibali 47 naves fuisse, Rhodiis 36. Quare minime Hannibal multitudine hostium oppressus est.

2) Liv. XXXVII 13, 6; 14, 4; 17, 1 et saepius.

molestum et odiosum est, quod Polybii ipsius descriptio fere tota periit, quoniam ex Polybianis XXI 7, 5—7 collatis cum Livianis XXXVII 12, 9 iam Nissen (p. 190) Polybii descriptiones multo copiosiores fuisse suo iure conclusit. Etsi igitur apud Livium paucis contenti esse debemus, quae inserta sunt, si occasio tulit, attamen vel ex paucis illis imagines quaedam praefectorum Rhodiorum in animos nostros incurrunt, id quod Pausistrati exemplo demonstrabo[1]). Fuit enim vir superbus, fortis, audax, diuturna consuetudine peritissimus belli navalis, idoneus ad imperatoris munus administrandum.

Proelia navalia eadem ratione explicantur, quam iam in pugna ad Chium commissa (Pol. XVI 2 sqq.) observavimus: saepius ars nova a Rhodiis bene inventa machinarum igniferarum praedicatur[2]); alia quoque instituta Rhodiorum explanantur; affero haec: in navibus turres erant, in quibus praefecti steterunt[3]); quin etiam de signis in classe Rhodia dari solitis quaedam comperimus (Liv. XXXVII 24, 4). Auctorem Rhodium deinde ex Phaselidis descriptione dilucida agnosces (Liv. XXXVII 23, 1), qua omnibus ex Cilicia navigantibus quasi Rhodus sola petenda esse videatur, quanquam quicunque in Graeciam venire voluit, eo itinere uti debebat.

Scriptoris usus rei maritimae optime cognoscitur in motibus navium explicatis; de qua re cum multos alios locos tum hos conferas: Liv. XXXVII 23, 8—11; 24, 1—2; 29, 8—9. Hic quoque pugnarum singularium saepius mentio fit, ut (Liv. XXXVII 11, 10—11): de morte Pausistrati; (23, 9 et 24, 4): de rebus ab Eudamo gestis; (24, 3): de hepteri Syriaca demersa; (30, 9—10 et App. Sy. 27): de navi Rhodia cum Sidonia pugnante.

Saepius auctor Rhodios, nautas praestantissimos, usu maritimo praeditos laudibus celebravit (cf. Liv. XXXVII 24, 1; 29, 9). Hoc vero dubito, aestimaveritne Zenon virtutem Ro-

1) Cf. Liv. XXXVII 10, 2; 11, 7; 11, 11; 12, 9; App. Sy. 24; fortasse etiam Suidae fragmentum s. v. ἐξέστηκε, vid. M. Mueller, Jahrb. f. Philol. 1868 p. 392.

2) Pol. XXI 7, 1—4; Liv. XXXVII 11, 13; 30, 3 sqq.; App. Sy. 24. Cf. Nissen p. 190.

3) Liv. XXXVII 24, 6; cf. etiam Pol. XVI 3, 12.

manorum tanti quanti apud Livium XXXVII 30, 2 legitur; quae vel Polybio vel Livio imputare malim; alienissimum vero a Zenone hoc puto, quod Livius XXXVII 30, 6 virtute Romanorum sola victoriam reportatam esse tradidit. Quae Livii propria esse apparet, quibus exordio utatur ad facinus quoddam forte Romanorum necopinatum enarrandum: quanquam enim Romanos proeliis navalibus non ita praestitisse satis notum est, hic media hostium acie rupta momento temporis laevo cornu hostium ab tergo sese obiecerunt (30, 6).

Rectius quam apud Livium causam huius eventus miri perspicies ex Appiano (Sy. 27): certamine enim navis Rhodiae cum navi Sidonia permulta Syrorum navigia, quae in acie media steterant, in cornu laevum tractae sunt; unde fructu percepto Romani sine ullo labore per hostes perruperunt. Quae cum omnia apte conveniant, hanc emendationem ex Appiano recipere non dubito[1]), praesertim cum Livius pugnam duarum navium illarum conexu cum praecedentibus utique carentem descriptionis fini incommode adglutinaverit.

Livius nimirum patriae amore permotus est, ut veram pugnae expositionem depravaret, cum victoriam Rhodiorum praecipue merito reportatam concedere nollet; similia eum saepius fecisse Nissen (p. 29—31) monstravit; at idem Nissen (p. 191), cum Appiani narratio errorum plena esset, verba Livii omni ex parte vera, Appiani haec quoque falsa esse iudicavit. Cetera vero vitia Appiani omnia ex errore et neglegentia profecta sunt; quare Nisseni erat probare, quibus causis Appianus adductus esset, ut descriptionem consulto depravaret.

Patria auctoris deinde etiam ex ratione cognoscitur, qua scriptor de expeditionibus in Lyciam factis Romanorum commoda saepius neglegens disseruit. Exempli gratia hoc dicam: postquam Epicratis Rhodii, qui ut in Lyciam proficiscerentur socii, suaserat, oratio exposita est (XXXVII 15, 6—8), scriptor facere non potest, quin addat (15, 9) hanc sententiam maxime movisse. At re vera nemo fere nisi Rhodii ipsi motus erat; nempe consilio contrario facto placuit tota classe ad portum

1) quod etiam Schneiderwirth, p. 105, fecit.

Ephesi evehi (15, 9). Ut Rhodiorum voluntati aliqua saltem ex parte satisfacerent, Romani classiculam minimam in Lyciam miserunt, quae brevi post infecta re rediit (16). Etiam in altera expeditione describenda fontem Rhodium adhibitum esse iam Nissen perspexit (p. 193).

Saepius praeterea auctorem principalem medios inter Rhodios versantem videmus; ut (Liv. XXXVII 12, 7—9) totam Rhodum maximo maerore et luctu vehementissimo completam fuisse post cladem ad Panhormum acceptam disertis verbis enarratur. Quin etiam nonnunquam res Romanae propterea modo copiosius nuntiatae sunt, quod eis cum Rhodiis conexus quidam erat; documento hoc loco utar: XXXVII 13, 11—14, 4: Epicrates Rhodius quattuor cum navibus Samo Cephalleniam dimissus Piraeei in novum classis praefectum Romanorum incidit; quocum iter retro vertens in cursu Timasicratem Rhodium duabus quadriremibus praefectum nactus est; denique cum aliis quadriremibus duabus Rhodiis convenerunt. Mortem vero M. Aemilii (XXXVII 22, 2) a Zenone nulla alia de causa commemoratam esse censeo nisi quod exsequia Rhodiorum ei adiuncta sunt.

Zenonem inter Rhodios nobiles fuisse et supra (pp. 12; 36); identidem demonstrare studui, et hoc ex loco efficitur (XXXVII 12, 7), quo auctor militum gregariorum iacturam non magis dolet quam navium, cum iuvenes nobiles pugna occisos grate pieque prosequatur. Virtutibus Pausistrati, qui tamen vitium gravissimum commiserat (c. 10—11), laudatis (c. 12, 8 'merito'), auctorem inter optimates fuisse manifestum est, cum Dinones et Polyaratos ducem illum acerbissime vituperaturos fuisse luce clarius sit.

Quae cum ita sint, Polybium non solum in bello Rhodiorum et Philippi, sed etiam in bello Syriaco conscribendo fonte Rhodio usum esse reor Zenone.

Haec quaestio restat, utrum Zenonem unicum hac in parte componenda Polybius (= Livius XXXVII 8—32) adhibuerit an etiam alios scriptores rerum. Iam si quis descriptionem Livianam oculo veloci percurrerit, statim animadvertet partibus singulis originem Zenonicam his cla-

rius[1]), illis obscurius expressam esse. Neque quaedam a Zenone alienissima desunt, ut apud Livium XXXVII 20, 1—21, 4 sine dubio fontem Achaicum subesse constat[2]). Praeterea alios auctores atque Zenonem adhibitos esse etiam apparet ex Livio XXXVII 28, 10: 'dicitur et Eudamus Rhodius vitium alterius portus ostendisse'. Scriptor enim, postquam aliud memoriae genus a Rhodiis abhorrens commemoravit, iis verbis ad famam Rhodiam exponendam aggreditur. Unde efficitur Polybium in inimicitiis explicandis, quae Romanis cum Teiis erant (Liv. XXXVII 27 sq.), praecipue auctorem secutum esse non Rhodium.

Ut igitur bellum navale anni 190 potissimum secundum Zenonem descriptum extare evidens est, ita bellum terrestre eiusdem anni scriptore Rhodio non adhibito narrari liquet (Liv. XXXVII 33 sqq.).

Neque in minoribus rebus a Romanis annis 189 et 188 in Aetolia et Asia gestis Zenonis vestigia invenies. Rhodiorum enim, quanquam etiam saepius[3]) Romanos cum Aetolis in gratiam reducere conabantur, tamen ubique cursim et neglegenter mentio fit. Valeton (p. 214) videlicet ea, quae de Aetolis sunt, ex legatorum Rhodiorum renuntiationibus, quarum, ut ita dicam, amantissimus est, sumpta esse existimat; quod improbo, cum aliis de causis tum propterea quod fere nusquam in historia Graeciae ipsius conscribenda Polybius auctore Rhodio usus esse mihi videatur.

11. De pace Syriaca.

Actionum anno 189 de pace habitarum[4]) Nissen[5]) pleraque renuntiationibus legatorum Rhodiorum attribuit. Hoc certe concedo ea[6]), quae de Solis Ciliciae oppido sunt, fonti

1) Cf. Liv. XXXVII 10—11; 12, 7—9; 13, 11—14, 4; 22, 2—24, 12; 30.
2) Cf. Nissen p. 191 et Valeton p. 203.
3) Pol. XXI 25, 10; 29, 1; 29, 9; 30, 7; 31, 1; Liv. XXXVIII 3, 7; 9, 3; 10, 2; 10, 4; Florus I 25, 2.
4) Pol. XXI 18—24 = Liv. XXXVII 52—56.
5) p. 107 adn.; quem Valeton, p. 214, secutus est.
6) Pol. XXI 24, 10—17 = Liv. XXXVII 56, 7—10.

quodam Rhodio deberi. At licet hoc ita se habeat, omnia Rhodia esse minime exploratum est.

Scala (p. 219 sqq.), orationibus Eumenis et Rhodiorum in senatu habitis[1]) plura doctrinae stoicae indicia contineri ratus quam ceteris Polybianis, eas a Polybio ipso abiudicavit, et fortasse Panaetium ipsum Rhodios, populares suos, in oratione 'fabricanda' adiuvisse coniecit; at Unger[2]) Panaetium anno fere 170 natum esse demonstravit. Orationes autem Polybii ipsius non esse concedo, quem paucis tantum mutatis orationes re vera habitas repetere solere puto (cf. p. 34).

Utramque orationem a Polybio alienam esse vel inde elucet, quod in utraque ordine artificiosissimo res dispositae sunt, qualem apud Polybium alibi difficillime indagabis; hanc proprietatem optime ex Eumenis oratione cognosces: auctori autem haec consuetudo erat, ut primum quidem res tractandas brevius significaret, deinde uberius exponeret. Iam videamus:

Pol. XXI 19, 1—2: exordium.
- 19, 3—4: Eumenes crimina in Rhodios confert.
- 19, 5—10: Quae crimina exponuntur his insertis:
  - 19, 8: Graecis liberatis Rhodiorum opes augentur, minuuntur Eumenis.
  - 19, 9—10: Quod demonstratur.
- 19, 11—12: transitio.
- 20, 1: Eumenes amicus Romanorum fidissimus est.
- 20, 2—10: Quod demonstratur hac ratione:
  - 20, 2: primum Attalus pater semper cum Romanis fecit;
  - 20, 3—5: quod demonstratur.
  - 20, 6: deinde Eumenes etiam magis fidem praestitit;
  - 20, 7—10: quod demonstratur.
- 21, 1: Eumenes, ut praemia sibi dentur meritis digna, orat;
- 21, 2—4: quod uberius explicatur.
- 21, 5—6: praetexuntur, quae Eumenes expetiturus sit;

1) Pol. XXI 19—23 = Liv. XXXVII 53—54; cf. Nissen, p. 27.
2) Philologus 41, p. 625.

21, 7—10: eadem exponuntur.

21, 11: peroratio.

Itaque praeter exordium, transitionem, perorationem tota oratio ex binis membris constat, quae inter se respondent.

Quin Polybius pacis cum Antiocho factae condiciones[1]) ex tabulis publicis exscripserit, non dubito, quandoquidem ipse diserte (XXI 44, 10) hoc praedicavit. Ubi vero auctor eas inspexerit, pro certo enucleari non posse censeo, quoniam verba ubique fere eadem erant. Ad Rhodum autem haec pertinent:

a) Pol. XXI 24, 7 = Liv. XXXVII 55, 5.

b) Liv. XXXVII 56, 5—6.

c) Pol. XXI 45, 16—17 = Liv. XXXVIII 38, 11—12.

d) Pol. XXI 48, 8 = Liv. XXXVIII 39, 13.

Ex quibus alterum et tertium ex tabulis publicis exscripta, primum et quartum a Polybio liberiore aliqua ratione conscripta esse arbitror.

Caveas vero ne novi quidquam ab Appiano (Mi. 23)[2]) afferri putes Caunum illa pace Rhodiis datam esse declarante; quod Appianus errore dixit Caunios eadem perpessos esse ratus atque ceteros Cares. At Polybius ipse alibi (XXXI 7, 6) expressis verbis Rhodios Caunum de Aegyptiis ducentis talentis emisse affirmat.

Valeton (p. 222), quocum Scala (p. 261) fecit, studium et amorem erga Romanos apud Polybium XXI 48, 8 investigasse sibi visus Zenonem auctorem subesse contendit his fere argumentis nisus: quoties Lycios et Cares Rhodiis *ὡς φίλους καὶ συμμάχους* datos esse legimus, fontem Polybii Romanum esse oportere; quoties *ἐν δωρεᾷ*, Rhodium; ergo et alia et Pol. XXI 48, 8 Zenonis esse. At uterque vir doctus lapsus est,

---

1) Pol. XXI 45; Liv. XXXVIII 38; cf. Nissen, p. 206 sqq. Idem vir doctus (p. 16) comparato Livio excerptorem Polybianum hic multa omisisse demonstravit.

2) Mi. 23: *Καύνιοι Ῥοδίοις ὑποτελεῖς ἐπὶ τῷ Ἀντιόχου πολέμῳ γενόμενοι.* Holleaux (Bulletin de corresp. hellén. XVII, p. 68) Appiani verbis sententiam suam, Caunum Rhodiis a Ptolemaeo Epiphane datam esse comprobare voluit; qua in explicatione hoc tamen potissimum suspicionem movet, quod rex Aegypti ab Appiano omnino non commemoratur.

quandoquidem Pol. XXI 48, 8 *ἐν δωρεᾷ* omnino non investigari potest. Neque altero loco, Pol. XXII 5, 7, quo *ἐν δωρεᾷ* extat, vocabulis illis tantum momenti tribuo, quantum Valeton et Scala; neque propterea quod apud Polybium XXV 4, 5 *οὐκ ἐν δωρεᾷ* legitur, ea verba Zenoni abrogaverim.

Quae discrepantia non Polybio exprobranda est, tanquam ille fontes diversos temere permiscuerit, sed Romanis ipsis, qui dictis ambiguis inserviebant. Ex rebus ipsis ea, quae proposui, perspicua fient[1]): Rhodii enim (Pol. XXII 5) a Romanis Lyciam petiverunt, Ilienses pro Lyciorum libertate deprecati sunt. Quibus rebus cognitis Romani in Lycios se non graviter animadversuros esse Iliensibus dixerunt, Rhodiis Lyciam dono dederunt. Quare si Valeton et Scala sibi constare voluissent, in eadem paragrapho (Pol. XXII 5, 4) Polybium simul diversis fontibus usum esse contendere debebant. Discordia vero inter Romanos et Rhodios orta (Pol. XXV 4, 7—10) senatus responsi, quod Rhodiis dederat, quasi oblitus ea tantum, quae Iliensibus promiserat, memoria tenebat[2]). Quam perfidiam et Polybius ipse indignatus est, et Rhodii aegerrime tulerunt (Pol. XXV 4, 6 sqq., 5, 1 sqq.).

12. De temporibus, quae inter bellum Syriacum et Macedonicum tertium erant.

Viginti fere annis, qui bellum Syriacum secuti sunt, cum de ceteris civitatibus tum de Rhodo perpauca comperimus, quanquam Rhodiis illa aetate tria bella gravissima cum Lyciis et Caribus gerenda erant[3]). De quibus quae apud Polybium et Livium satis multos per libros dispersa leguntur, iam tractabo.

a) Pol. XXII 5. Si non totum caput, at certe pars altera (XXII 5, 5—10) Zenonis est, cum auctorem, quae ibi narrantur, ipsum suis oculis coram vidisse probabile sit. Prytanis (5, 10) et duo legati Rhodiorum (5, 2) nominatim commemo-

1) Cf. Treuber, Gesch. d. Lykier, p. 157 et 161.

2) Pol. XXV 4, 5; huc quadrant Livii verba ex annalibus hausta, XLI 6, 12.

3) de bellis illis videas appendicem 4.

rantur, Lyciorum legati non item (5, 8 et 5, 10). Auctorem causae Rhodiorum favere (5, 5 sqq.) optime dilucet.

b) Pol. XXV 4. Hic eadem facta memorantur, quae Livius iam XLI 6, 8—12 ex annalibus narraverat. Polybius, ut erat arbiter aequus iustusque, ne Rhodios quidem culpa vacare concessit[1]). Ex fine vero huius quoque capitis (4, 6 sqq.) Zenonem agnosces, quoniam quid plerique Rhodiorum de Romanorum fraude et perfidia iudicaverint, aperta cum comprobatione refertur[2]). Dona denique a Perseo Rhodiis data (4, 10) diligenter enumerantur.

c) Pol. XXV 5. Valeton, sicut saepissime ita hic quoque renuntiationem aliquam legatorum Rhodiorum exscriptam esse censet (p. 215, adn. 1); ego haec Zenonis esse malim. Sed iam ista mittamus; de origine Rhodia certe dubitandum non est; Lycophron Rhodius nominatur; res, de quibus agitur, Rhodi geruntur; auctor cum Rhodiis facit.

d) Liv. XLI 25, 8. Livius apud auctorem suum, hoc est apud Polybium, enarrationem copiosam de bello ab Rhodiis ea aetate in Asiae continente gesto se invenisse significat. Sed se haec persecuturum esse abnuit simillimis verbis usus atque iam supra (XXXIII 20, 13). Cum utrobique Livii verba ad res Rhodias spectent, hoc certe colligere licet, et Polybium uberrime de Rhodi rebus egisse — nimirum quod fontes uberrimi Rhodii ei praesto erant —, et Livium permulta, quae de Rhodo essent, omisisse.

e) Quae praeterea ad Rhodum referuntur, ad fontes perspiciendos inutilia esse reor[3]).

13. De bello Macedonico tertio.

Manifestissime reliquiae memoriae Rhodiae, quamvis rarae, in bello Macedonico tertio descripto[4]) patent. Iam Valetoni

---

1) Pol. XXV 4, 4: τὴν Ῥοδίων βαρύτητα.

2) Cf. Valeton, p. 215.

3) Liv. XXXVIII 60, 6 ex annalibus haustum; Pol. XXIII 9, 2; Liv. XL 2, 6; Liv. XLI 6, 8—12 ex annalibus haustum; Pol. XXV 6, 1; Liv. XLI 20, 7.

4) Pol. XXVII—XXIX; Liv. XLII—XLV.

(p. 215, adn. 1) eae notabiles esse videbantur, qui secundum morem suum Zenone spreto omnia nullis exceptis ex prytaneo Rhodiorum desumpta esse voluit. Tantum abest, ut Polybium prytaneo usum esse negem, ut nonnullis locis hoc veri simile esse iam supra demonstraverim[1]. Minime vero auctoritatem scriptoris labefactare mihi videor dicendo in universum Zenonis potissimum historia eum usum esse, praesertim cum eam laude dignam esse existimaret. Denique haud scio, an in legatorum renuntiationibus non omnia haec fuerint, quae apud Polybium legantur. Itaque contra Valetonem saepissime a Zenonis partibus me stare libenter confiteor. Neque vero Zenonis verba pura Polybius iterasse satis habuit, sed sua ipsius addidit; qua in re interest, utrum Rhodi historia per se sola tractetur (*Ῥοδιακά*), an facultate data in historia aliarum terrarum, ex. gr. Italiae (*Ἰταλικά*), conscribenda Rhodii commemorentur; in his partibus enim Zenonis vestigia multo difficilius et rarius animadvertuntur quam in illis.

Livius porro hac aetate de Rhodo duos fontes exscripsit diversissimos: et Polybium et annales. Quae ex annalibus hauserit, ad nos fere nil attinent; neque ea a Polybii reliquiis segregare difficile est, cum vitiis abundent et auctoris animum Rhodiis infensissimum prae se ferant.

Apud Polybium autem primum quidem mira nominum Rhodiorum copia auctor Rhodius indicatur:

Pol. XXVII 3, 3: *Ἀγησίλοχος*[2]. 7, 2: *Στρατοκλέους* (cf. 7, 13). 7, 3: *Ἀγαθάγητον καὶ Ῥοδοφῶντα καὶ Ἀστυμήδην*. 7, 4: *Δείνωνα*[3] *καὶ Πολυάρατον* (cf. 7, 12). 7, 14: *Τιμαγόραν*. 14, 2: *Φιλόφρονα καὶ Θεαίτητον*[4] — *Δείνωνα καὶ Πολυάρατον*. XXVIII 2, 1: *Ἀγησίλοχος καὶ Νικαγόρας*[5] *καὶ Νίκανδρος*. 2, 3: *Ἀγαθάγητον καὶ Φιλόφρονα καὶ Ῥοδοφῶντα καὶ Θεαίτητον* — *Δείνωνα καὶ Πολυάρατον*. 16, 5: *Ἀγησίλοχος Ἡγησίου*[6], *Νικαγόρας, Νίκανδρος* (cf. 2, 1). 16, 6: *Ἀγέπολις Ἀρίστων Παγκρά-*

---

1) Pol. IV 56, 3; V 88, 5—90, 2.
2) Cf. appendicem 1a.
3) Cf. appendicem 1d.
4) Cf. appendicem 1i.
5) Cf. appendicem 1g.
6) Cf. appendicem 1a.

της (cf. 17, 1 et 4). 17, 14: *Δείνωνα*. XXIX 10, 4: *Ἀγέπολιν Διοκλῆ Κλεόμβροτον — Δάμωνα Νικόστρατον Ἀγησίλοχον Τήλεφον*. 11, 2: *Δείνωνα — Θεαίτητον*. Liv. XLIV 28, 3: Eudamum. 29, 7: Dinoni et Polyarato.
Vel ex hoc nominum indice, quamvis primo aspectu Valetonis sententiae non minorem fidem facere videatur quam meae, tamen Zenonis librum significari reor; iam saepius (pp. 12; 36; 53) Zenonem ab optimatibus Rhodiis, qui cum Romanis fecerunt, stetisse cognovimus; quocum congruit, quod ex hoc permagno virorum numero duo tantum Persei amici inveniuntur: Dinon et Polyaratus; Romanorum fautores contra Agesilochum, Stratoclem, Agathagetum, Rhodophontem, Astymedem, Philophronem, Theaetetum, Timagoram constat, ceteros veri simillimum est: Zenon nimirum ex nobilibus plurimos de facie noverat, ex factione contraria autem principes tantum.

Quorum ducum utrumque Zenon odio vehementissimo persecutus iniquissime depinxit[1]); hoc eo gravius est, quod ea, quae Agesilochus, defensor partium Romanarum, de re publica bene meritus sit, copiose summis laudibus efferantur (Pol. XXVII 3); qui expressis verbis *ἀνὴρ τῶν εὐδοκιμούντων* appellatur (XXVII 3, 3); an omnino Zenoni omnes nobiles *εὐδοκιμοῦντες* erant? Praeterea etiam saepius Romanorum amici disertis verbis laudantur (XXVIII 17, 2): *οἱ ὑγιαίνοντες*, et (XXIX 10, 3): *οἱ σῴζειν σπουδάζοντες τὴν πατρίδα καὶ τοὺς νόμους*, cum factio altera acerbissime increpetur (XXVIII 17, 12): *οἱ κινηταὶ καὶ καχέκται*. Fere omnes Rhodios mente sana praeditos cum Romanis fecisse auctor demonstrare studuisse videtur; quapropter (Pol. XXVII 7, 3), postquam nonnullos tales viros nominavit, diserte apposuit: *καὶ ἑτέροις πλείοσιν* (scil. *ἐδόκει*). Quin etiam plebem ipsam culpa casus funesti carere identidem exponens[2]) omnem miseriam atque cladem in paucissimos turbatores vulgi contulit[3]). Qua sententia non Zenonem solum fuisse per se patet; omnes fere nobiles Rhodios idem censuisse puto, neque Polybius ipse eo tempore,

1) Pol. XXVII 7, 12. Cf. etiam p. 70.
2) Pol. XXVII 7, 4; XXVIII 16, 2.
3) Pol. XXIX 19, 2; Liv. XLV 10, 10; Pol. XXXI 7, 13 sqq.

quo hanc historiae partem conscripsit, alienus erat ab eis (Liv. XLII 30, 1—7). Neque vero res Rhodias tanta diligentia pertractasset, nisi plurima iam apud Zenonem composita invenisset.

De singulis haec:

a) Liv. XLII 11—14. Cum Eumenes oratione in senatu habita Perseum regem aperte, Rhodios occulte insectatus esset (Liv. XLII 12, 1 et 12, 4), princeps legationis Rhodiorum civitatem suam defendere studuit[1]). Quod legatus propter hanc contionem pro Perseo habitam reprehendatur (XLII 14, 8), utrum Zenoni an Livio des, nil refert; his certe verbis (14, 9): 'orationem habuit — inutilem sibi et civitati suae' scriptor rerum Rhodiarum monstratur, cum vocabulum 'sibi' spectare oporteat ad incommoda legato a factione Romanis favente allata, postquam domum rediit; etiam quae Appianus de legatione Eumenis ad Solis sollemnia Rhodum missa dixit, Zenoni attribuo.

b) Liv. XLII 26, 8. Haec ex annalibus deprompta neque digna esse, quibus fides haberetur, Nissen (p. 247 sq.) docuit.

c) Pol. XXVII 3 = Liv. XLII 45. Quanquam hoc excerptum Polybianum in angustum contractum est[2]), origo Rhodia inde cognoscitur, quanta diligentia et studio enumerentur, quaecunque Agesilochus in re publica gerenda perfecit. Orationem prytanis in Polybii fragmento leviter significatam (XXVII 3, 3) Livius melius conservavit (XLII 45, 4—6). De vocabulo (*ναῦς*) *ὑποζωννύειν* (XXVII 3, 3), quod apud Polybium hoc loco uno legitur, videas infra (p. 64); quod ex Zenone mutuum sumptum esse persuasum habeo.

d) Pol. XXVII 4, 3—10 = Liv. XLII 46, 1—6. Cf. Nissen, p. 252. Zenonem vel hoc indicat, quod certus rerum gerendarum tenor observatur: nonnullis diebus, postquam legati Persei litteras magistratibus, prytanibus nimirum, tradiderant (Pol. XXVII 4, 4), res in senatu agitur. Neque sine aliqua comprobatione consuetudo Rhodiorum describitur, qui id summopere moliebantur, ut neutrius partis hostes fierent (4, 8—9).

---

1) Liv. XLII 14, 6—9; App. Ma. 11, 3. Cf. Nissen, p. 245.

2) Cf. Nissen, p. 15.

Polybius (XXVII 4, 3) Persea ad ceteras civitates litteras, Rhodum praeterea etiam legatos misisse affirmavit; Livius (XLII 46, 1) contra non solum Rhodum, sed etiam Byzantium legatos iisse vult, neque vero, quid legati Byzantium missi egerint, narrat. Quam difficultatem ita solvi posse puto: cum Zenonis nihil interfuisset, quid altera legatio Byzantium missa fecisset, hanc initio tantum brevissime commemoratam deinde prorsus praetermisit; quae verba pauca ad Byzantium spectantia a Livio servata, ab excerptore Polybiano omissa sunt.

e) Pol. XXVII 7. Hoc caput in eis pono, quorum origo Rhodia clarissima sit. Quanquam enim praefectus classis Romanae omnes socios auxilia mittere iusserat (7, 16), tamen usque ad finem fere (7, 1—15) ceteris plane neglectis Rhodiorum tantum ratio ducitur: nuntii Rhodum missi nomen refertur et condicio (7, 1); etiam quando venerit, diligenter enarratur (7, 2): *Στρατοκλέους πρυτανεύοντος τὴν δευτέραν ἔκμηνον*. Deinde in contione, quae de navibus mittendis est, inter Romanorum amicos et adversarios magna lis oritur. Ei, qui cum Perseo faciebant, per ambages Romanis nocere studentes plebem in Eumenem, qui apud omnes Rhodios in odio erat, instigabant; de causis inimicitiarum, quae Eumeni cum Rhodiis erant, nullo alio loco nisi hoc (7,5—6) legimus; Dinonem vero et Polyaratum contionantes quasi coram audimus (7, 8 sq.). attamen naves mittuntur (7, 14): quinque Chalcidem duce Timagora (?), una Tenedum duce Timagora (?); quid denique haec una quadriremis Tenedi gesserit, diligentissime refertur; quin etiam iterum (XXVII 14) de eadem re scriptor agit; quare sicut XXVII 7, ita XXVII 14 Zenoni tribuo.

Quinque vero illae naves ad ducem Romanum venerunt (7, 16). Atque etiam ceteros socios arcessitos esse tunc demum casu et fortuito cognoscimus; nempe Rhodii quoque tunc demum idem cognoverunt. Atque aliorum sociorum brevissime et quasi strictim mentio fit. Etiam Livius (XLII 56, 6) easdem quinque quadriremes Rhodias cum Romanis se coniunxisse testatur. Gravissimum vero discrimen est inter hunc locum et illum Polybianum: apud Polybium enim auctor, ut ita dicam, cum navibus Rhodiis ad classem Romanam vectus est; apud Livium a principio cum Romanis fuit; itaque apud

Livium Rhodiorum non seorsum ratio fit, sed simul cum multis aliis sociis enumerantur.

Quae cum ita sint, duos illos locos, et Pol. XXVII 7 et Liv. XLII 56, 6 origine diversa esse oportet. Neque vero Livium ex annalibus descripsisse vel inde manifestum est, quod annalium scriptores hoc certe curare non solebant, quot naves singulae civitates Graecae Romanis misissent; huc accedit quod Nissen totum bellum cum Perseo gestum a Livio ex Polybio sumptum esse demonstravit; itaque etiam Liv. XLII 56, 6 Polybio attribuenda sunt. Hoc tamen discrimen est inter locum utrumque: cum Polybius antea (XXVII 7) de Rhodi insulae rebus egerit (*Ῥοδιακά*), verba Liviana media in belli Persici descriptione sunt. Hoc more materiae disponendae se nonnunquam etiam ordinem temporum perturbare cogi Polybius ipse concessit (XXVIII 16, 9—11). Quare in Rhodiacis Polybium inprimis ex Zenone, in ipso bello Persico conscribendo ex aliis scriptoribus potissimum fructum percepisse censeo.

f) Neque iam miraberis Polybium XXVIII 2 partim eadem narrasse atque XXVIII 16—17; ipse quoque hanc repetitionem declaravit (XXVIII 16, 9—11). Quanquam XXVIII 2 in Italicis erat, tamen Polybium Zenonis notitiam habuisse ex accurata enumeratione principum civitatis (XXVIII 2, 3) sequitur. XXVIII 16—17 contra Rhodiaca tractantur. Atque hic quidem notabile videbatur Polybium, alibi satis inopem verborum, hic haud parvam vocabulorum copiam usurpasse, quae apud eum nusquam iterum inveniuntur: XXVIII 16, 5: *κροτεῖν*. 17, 8: *προνύσσειν*. 17, 8: *μεσίτης*. 17, 12: *κινηταί*. Quod idem etiam aliis locis ad Rhodum pertinentibus animadvertere licet; ex. gr. Pol. XIII 4, 5: *κολακικός*. 5, 1: *ἐγκάθετος*. XV 22, 1: *ἀλλοτριάζειν* (in Schweighaeuseri lexico deest). 22, 1: *εὐπορία* (item). 23, 10: *οἰκόπεδον*. XVI 1, 6: *τὸ ὕλσος* (d. ap. Schw.). 1, 6: *ἀνασκάπτειν*. 2, 8 et 6, 1: *νησίς*. 3, 2 et 4, 12: *ὕφαλος*. 3, 8: *ἀνάστειρος*. 3, 12: *πυργοῦχος*. 4, 14: *παρασύρω*. 5, 1: *τριηραρχεῖν* (etiam de quinqueremi dictum!). 10, 1: *μανιώδης* (d. ap. Schw.). 11, 3: *πετρώδης* (d. ap. Schw.). 15, 4: *ἀπουροῦν*. XXI 7, 1: *κημός*. XXV 4, 8: *νυμφαγωγία*. 4, 9: *ἀναπειρᾶσθαι*. 4, 10: *στελγίς*. 4, 10: *νυμφαγωγεῖσθαι*. XXVII

3, 3: ὑποζωννύειν. 4, 5: ἀποθεωρεῖν. 7, 6: ἀναξαίνειν. 7, 7: εὐηκόως. 7, 12: ἀλαζονικός. XXVIII videas supra. XXIX 10, 1: χειροτονία. XXX 4, 3: ὑφόρασις (d. ap. Schw.). 5, 16: ἀποσοβεῖσθαι. 8, 4: χειρογράφος (Schw. nempe errore exhibet τὸ χειρόγραφον). 8, 4: ἀναισχυντεῖν. 9, 10: μέμψις (d. ap. Schw.). quorum verborum pleraque ex Zenone in textum Polybianum pervenisse persuasum habeo. Eadem de causa etiam descriptionem morum Antiochi Epiphanis (Pol. XXVI 1), quae vocabulis rarissimis apud Polybium nusquam alibi obviis redundat, ex fonte aliquo depromptam esse apparet; quam Scala (p. 262) auctori Aegyptio dedit.

Altero capite (XXVIII 17) auctor copiose de rebus Agepolis, legati Rhodiorum, agit; quae autem medio capite (17, 5—9) Polybius inseruit, cum de causis ageret, quibus permotus Marcius consul Rhodiis suasisset, ut pugnantibus intercederent, alteram causam (17, 5—6) a Zenone alienam, alteram (17, 7—8) scriptoris Rhodii esse probabile duco. In fine denique capitis (17, 15) ea brevissime significantur, quae apud Zenonem uberius narrata erant.

g) Liv. XLIV 14, 5—13 annalium sunt (cf. Nissen, p. 261).

h) Etiam libro XXIX eadem bis a Polybio exponuntur, et 3, 7—9; 4, 7 et 10—11.

Quorum in prioribus (XXIX 3, 7—9; 4, 7) nullum Zenonis vestigium extat; sed Polybium ipsum paulo plura, quam nunc in eius excerptis leguntur, scripsisse necesse est, cum haec (4, 7): ἔπεισε δὲ καὶ (scil. Perseus) τοὺς Ῥοδίους συνεμβαίνειν εἰς τὸν πόλεμον, vitio manifesto laborent discrepentque cum alio loco item Polybiano (XXIX 11): Rhodii enim interim id tantum agebant, ut controversiam Romanorum et Persae dirimerent, aperte pacem rumpere non ausi; sane bellum parabant (XXIX 10, 5—7), atque Dinon et Polyaratus gaudio exsultantes Rhodios ad pugnandum paratos esse Persae nuntiaverunt (Liv. XLIV 23, 10). Sed Rhodios haec consilia mala animis tantum suis volvisse, non perfecisse, ex permultis locis[1]) apparet. Quare voce ἔπεισε sine dubio corrupta Hertlein imperfectum

1) Pol. XXX 7, 9; Liv. XLV 22, 4; App. Sy. 44; Gellius VI (VII) 3, 4; 3, 36; 3, 47.

quod dicunt 'de conatu' genuinum esse ratus ἔπειθε proposuit; etiam alio loco Polybiano (IV 64, 2) ἔπειθον eadem significatione legi non nego, et Hultsch[1]) exemplis luculentis probavit imperfectum de conatu apud Polybium saepius extare. Nihilominus et Hultsch, sicut iam pridem Schweighaeuser[2]) et Nissen (p. 16), quibus ego quoque assentior, errorem ita ortum esse censent, ut excerptor textum Polybianum nimis contrahendo vitium intulerit.

Res ipsas, quomodo se habuerint, ex altero loco, qui ex Rhodiacis est, cognosces (Pol. XXIX 10—11). Ac primum quidem horum excerptorum ordinem hunc esse censeo: α) XXIX 11: Regum legati Rhodum veniunt. Res in senatu tractata ad populum defertur. Populiscitum. β) XXIX 10: huius excerpti initium (10, 1—3) partim eadem continet quae etiam XXIX 11. Deinde nova quaedam adduntur (10, 4—7): prytanes ex populiscito provident, quae tempus moneat.

Verba haec (10, 2): ὡς ἐν τῷ περὶ δημηγορίας τέθειται non Polybii sed excerptoris esse iam Reiske[3]) perspexit. Unde concludere licet, Polybium ipsum de contione Rhodiorum plura dixisse, quam adhuc in excerptis leguntur. Tamen etiam hic, quo ordine res Rhodi administrari solitae sint, cognoscimus; quod singulis demonstrare non opus esse puto.

i) Pol. XXIX 19. Quod caput cum Romae in senatu ageretur, ex Italicis erat. Itaque certa Zenonis vestigia hic vix indagabis. Livius XLV 3, 3—8 eadem, Polybio auctore narrans, suis ipsius notis instruxit (3, 3): 'velut ad ludibrium stolidae superbiae'.

k) Liv. XLV 10. Nissen (p. 273) Livium hic quoque multa, quae apud Polybium legisset, in angustum contraxisse contendit. Quod autem auctor Romanus Rhodum urbem sociam Romae[4]) appellavit, utrum, si modo hanc vocem premere licet, neglegentiae merae an errori manifesto tribuendum sit,

1) Erzählende Zeitformen bei Polybios, p. 37 sqq.
2) adnotatio ad h. l.
3) Animadversiones ad Graecos auctores; IV, p. 700.
4) Liv. XLV 10, 6; etiam saepius: 22, 4; 22, 11; 23, 6; 25, 4; praeterea Gellius eodem vocabulo usus est: VI (VII) 3, 2; 3, 7.

diiudicare non ausim; Rhodiis enim illa aetate nullum foedus firmum cum Romanis erat.[1])

14. De anno 167.

In libris XXX et XXXI multas Zenonis reliquias inveniri iam Scala (p. 261) significavit. Hoc autem maximi est momenti, quod praeter Polybium (XXX 4—9) de eisdem rebus anno 167 gestis apud Livium (XLV 20—25)[2]) ea memoriae prodita sunt, quae in annalibus Romanis scripta erant.

Polybius autem hic quoque auctore rerum Rhodiarum peritissimo se uti eo indicavit, quod satis multos Rhodios nominatim appellavit[3]). Cum Livius annales secutus studiosissime Romanis faverit, apud Polybium omnia diversa reperies: Livii auctor quasi in senatu sedet, Polybii legatos Rhodiorum comitatur. Quae cum ita sint, Catonis orationem celeberrimam[4]) pro Rhodiis habitam Polybium prorsus silentio praeteriisse non iam emiraberis. De toto patrum consessu Polybius nil commemoravit, nisi orationes, quas legati Rhodiorum habuerunt, et responsum, quod eis datum est (XXX 4, 6—9); cum alibi scriptor diligenter nomina magistratuum Romanorum referat, hic[5]) legitur: *τῶν στρατηγῶν τις*. Quod non minus Zenoni tribuo quam descriptionem intercedendi simplicem hanc (XXX 4, 6): *Ἀντωνίου τοῦ δημάρχου — τὸν στρατηγὸν — κατασπάσαντος ἀπὸ τῶν ἐμβόλων*. Haec nimirum multo accuratius ab annalium scriptore (Liv. XLV 21, 1) exponuntur: 'M'. Iuventius Thalna praetor, cuius inter cives et peregrinos iurisdictio erat'; causaeque explicantur, quibus Thalna adductus sit, ut contra Rhodios verba faceret. Qua ratione vero Antonius intercesserit, Livius iustis vocabulis describit, disquisitionem luculentam ad ius publicum pertinentem adiungit, praetorem vehementer vituperat, quod sine senatus voluntate egerit (XLV 21, 4 sqq.).

---

1) Quod Polybius (XXX 5, 4 sqq. et saepius) diserte docuit.
2) Sub finem tantum (XLV 25, 4) Livius ad Polybium rediit.
3) Pol. XXX 4, 1; 4, 3; 4, 6; 5, 1; 5, 4; 5, 14; 6, 1; 9, 9.
4) videas Liv. XLV 25, 2; Gellium VI (VII) 3.
5) Pol. XXX 4, 4; praeterea Diod. XXXI 5, 3.

Orationes quoque, quas legati Rhodiorum in senatu dixerunt, Polybium in fonte suo legisse mihi quidem probabile videtur; neque vero, cum artem oratoriam aspernaretur, se eas repetiturum esse indicavit hisce usus facetiis acerbis[1]): *κατὰ τὴν παροιμίαν τὸ κύκνειον ἐξηχήσαντες*. Hoc proverbium a Polybio ipso insertum esse etiam eo probatur, quod alio loco (Pol. XXXI 20, 1) iterum iisdem fere verbis repetatur. Atque mihi quidem persuasum est saepius Polybium orationes omisisse, quas in Zenonis historia legerat; id quod identidem scriptor ipse significavit[2]).

In altera huius capitis parte (XXX 4, 10—17) Polybii ipsius verba leguntur: Astymedes Rhodius enim vehementissime offenderat propter rationem, qua patriam suam defendere studuerat; quin etiam hanc orationem vilem publici iuris fecerat. Polybius, cum orationem acerbissime castigaret, eam sane legerat; neque tamen ea in fontibus huius scriptoris numeranda est, quod Scala (p. 267) fecit, quoniam Polybius ipse se illam contionem iteraturum esse negavit (XXX 4, 7).

Etiam XXX 5 Zenonis esse reor, auctore, ut ita dicam, cum Philocrate legato Rhodum redeunte. Inter ea, quae Rhodii tunc fecerunt, hoc mihi dignum videtur, quod seorsum memoretur, quod Rhodii Theaetetum[3]) simul legatum et nauarchum creaverunt; nauarcho enim soli foedera cum aliis civitatibus sine populiscito faciendi potestas erat. Id ipsum Rhodii Theaetetum nunc cum Romanis facere volebant, atque eodem more postea quoque iterum usi sunt (Pol. XXXIII 15, 3).

Deinde Rhodii laudati sunt[4]), quibus contigisset, ut cum Romanis per 140 (!) annos res optime gestas communicassent foedere firmo non facto; quanquam illo ipso tempore morem hunc Rhodiis summo detrimento fuisse quis est qui neget? Quae laudes propterea Zenonem redolere mihi videntur, quod etiam simillima apud Diodorum (XX 81, 2) oppugnationem

---

1) Pol. XXX 4, 7; Diod. XXXI 5, 1; 5, 2; 5, 3.

2) Cf. Pol. XXVIII 23, 2: *πολλοὺς διετίθεντο λόγους*; XXXI 1, 3: *πολλοὺς καὶ ποικίλους διατιθέμενοι λόγους*; praeterea legas XXVI 6, 1; XXVII 3, 3; 4, 8; 7, 13.

3) Pol. XXX 5, 4; Liv. XLV 25, 7.

4) Pol. XXX 5, 6—8; cf. Cassius Dio, ed. Melberianae fr. 67, 2—3.

Rhodi ab Demetrio Poliorceta instructam conscribentem leguntur, quam descriptionem Zenonicam esse iam Mueller (FHG. III 178) perspexit. Quodsi Zenon iam 140 annos amicitia coniunctos esse Romanos Rhodiosque contendit, utrum verum sit necne examinare non possumus; neque vero incredibile esse censeo, quandoquidem Rhodiis cum Sicilia iam antiquitus commercium fuisse constat (cf. Pol. IX 27, 7 sq.).

Apertissime vero in fine capitis (Pol. XXX 5, 13 sqq.) Zenon exhibetur, cum res illae parvulae in continente gestae neminis fere nisi Rhodiorum interesse potuerint. De Euromo autem etiam novi aliquid hoc loco discimus; nam alii scriptores Euromum Cariae oppidum fuisse dicunt; hic[1]) vero nomen illud ad provinciam quoque Rhodiorum quandam pertinuisse legimus.

De eisdem rebus Diodorus quoque egit, XXXI 5. Illud caput ex tribus excerptis diversis constat, quibus partim eadem narrantur; minimi pretii est excerptum Vaticanum (5, 2); meliora sunt excerptum Photii (5, 1) et Constantini de legationibus (5, 3). Ex quibus optime apparet Polybium paene ad litteras descriptum esse, quod Diodorum libris XXVIII—XXXII ubique fecisse Nissen (p. 110 sqq.) demonstravit.

Multo maioris momenti Livii enarratio (XLV 20, 4—25, 13) est ex annalibus hausta (cf. Nissen, p. 274 sq.). Ut apud Polybium partes Rhodiorum agi modo (p. 66) vidimus, ita apud Livium senatores Romani primas partes agunt. Is qui legit, interest consilio senatorum de ratione habito, qua legatos Rhodiorum excipi oporteret.

Inter capita XLV 21 et 22 lacuna est, qua initium orationis, quam legatus quidam Rhodiorum in senatu habuit (XLV 22, 1—24, 14), periit. Eam orationem ex Polybio haustam non esse per se patet, quandoquidem ille eam se non traditurum esse ipse declaravit[2]). Nitzschii[3]) sententiam, qui Livium orationem Astymedis, ab illo ipso postea editam (Pol. XXX 4, 10—17), in sermonem Latinum vertisse coniecerat,

1) Pol. XXX 5, 11; 5, 15; Liv. XLV 25, 11; 25, 13.
2) Pol. XXX 4, 7; Diod. XXXI 5, 1; 5, 2; 5, 3.
3) Polybios 131, 13.

nemo, quantum scio, probavit, quoniam oratio Liviana nusquam eas proprietates exhibet, quas Polybius in Astymede reprehendit. Quae cum ita sint, cum Nisseno (p. 275) facio orationem esse declamationem talem contendente, qualibus annalium scriptores delectabantur. Quocum optime congruere censeo ea quae Liv. XLV 23, 12 leguntur; neque enim putaverim legatos Rhodiorum supplices et deprecantes tanta audacia fuisse, ut Popillio, viro Romano superbissimo[1]), tam libere illuderent; annalium scriptori contra haec irrisio salsa sane oblectationem non parvam praebere potuit.

Non iam annales, sed Polybii historiam narrationis Livianae fundamentum esse cognoscitur ex Liv. XLV 25, 4: 'Philocrates et Astymedes principes legationis erant'. Nam in annalibus nil de nominibus virorum illorum fuit; quare antea Livius in universum dixerat 'Rhodiorum legati' (XLV 20, 4); cum autem Polybii historiam inde a XXX 5, 1 denuo exscriberet, hoc ex loco falso conclusit Philocratem et Astymedem unius legationis fuisse[2]).

Polybius XXX 6—9 de exitio Dinonis et Polyarati Rhodiorum egit; quae digressio a Livio omissa est, fortasse inter XLV 10, 14 et 15. Atque initio quidem (XXX 6—7) quin Polybii ipsius verba extent non dubito, praecipue propter similitudinem quandam, quae his verbis est cum alio excursu Polybiano apud Livium (XLII 30, 1—7) tradito. Eorum virorum enim, quos Romani Persa devicto odio persequebantur, utroque loco tria genera discernuntur; utroque loco scriptor eos ceteris anteponit, qui neque Romanis neque Macedonibus se adiunxerant.

Usque ad XXX 7, 8 auctor de Graecia universa verba fecit; 7, 9—10 ad Coum et Rhodum insulas solas se vertens duces factionis Macedonicae utriusque civitatis nominat; at in eis, quae sequuntur (XXX 8—9) Rhodiorum tantum ratio habetur. Id hac de causa factum esse arbitror, quod de Dinone et Polyarato Zenon materiam narrandi praestitit uberrimam, de Cois vero non item.

---

1) Cf. etiam Liv. XLV 10.

2) Cf. appendicem 1 h.

Neque profecto Polybium Zenonis verba plane exscripsisse dicam; nonnulla sane addidit (cf. XXX 9, 5). Zenonis tamen sunt et odium in turbatores istos vulgi acerrimum et notitia rerum accuratissima, cum res vel minutissimae summa diligentia referantur. Postquam autem Polyaratus Romam missus est (XXX 9, 19), auctor Rhodius nil amplius dicit; nempe ignorans sane, quid Romani homini isti fecerint, haec silentio praetermittit.

Expositionem morum Polyarati, quam supra (Pol. XXVII 7, 12) legimus, non prorsus veritati convenire hic videmus: neque enim eum tam sceleratum fuisse vel inde dilucet, quod Ptolemaeus, Aegypti rex, eum etsi calamitatibus gravissimis adflictum tamen dignum duxit, quem quacunque posset ratione adiuvaret (Pol. XXX 9, 2); praeterea Pancratis tyranni liberi in Polyarati domo educati erant (XXX 9, 14).

15. De ultimis Zenonis reliquiis.

Anno 166, sicut iam saepius, una res bis memoratur; atque primum quidem Polybius XXX 20, 16—17 quam brevissime legationem Rhodiorum a senatu Romano aspere et inclementer acceptam atque dilatam esse dixit. Ut haec a fonte Rhodio abhorrere, ita narrationem alteram (XXX 22) Zenonis esse perspicuum est: ex. gr. unum afferam, quanta diligentia de annis et morte Theaeteti referatur (XXX 22, 2).

Ex fragmento Polybiano minimo XXX 24 hoc certe cognoscimus auctorem, cum de rebus in Peraea gestis verba faceret, a partibus Rhodiorum stetisse. Ideo Zenonem subesse probabile reor.

In initio libri XXXI quoque Zenonis vestigia extant, cum XXXI 1, 2 sqq. artissime cohaereat cum XXX 22, cuius originem Zenonicam modo probare studui; senatus in universum tantum *ἡ σύγκλητος* nominatur atque obiter tractatur, Rhodiorum res multo copiosius explicantur.

Etiam permulto clarius auctor quidam Rhodius cognoscitur Pol. XXXI 7; oratio autem altera, quam Astymedes anno 164 in senatu habuit, paene ad verba iteratur. Fortasse

credideris[1]) Polybium hanc orationem commentario ab Astymede ipso publici iuris facto (Pol. XXX 4, 11) debere; quod falsum esse ideo puto, quia Astymedes, si modo Polybii verba recte interpretor, priorem orationem solam scriptam edidit.

Neque Valetonem[2]) propius ad veritatem accessisse arbitror suspicantem orationem a Polybio ipso compositam esse; vir doctus enim praecipua commoda democratiae Polybio auctore esse dixit *παρρησίαν* et *ἰσηγορίαν* (sive *ἰσολογίαν*); cum vero eaedem voces hic quoque legerentur (Pol. XXXI 7, 16), orationem Polybio ipsi attribuit. Valetonem hac in re sermonem Polybianum non plane perspexisse existimo: sane scriptor saepissime verba *παρρησία* et *ἰσηγορία* coniunxit; praeter exempla a Valetone allata (II 42, 3; XXVII 4, 7) eadem etiam leguntur II 38, 6; IV 31, 4; VI 9, 4; 9, 5. Noster autem locus solus (XXXI 7, 16) differt ab omnibus ceteris, cum hoc uno legantur *παρρησία* et *ἰσολογία*. Itaque vel hac ex discrepantia concludere licet orationem a Polybio ipso compositam non esse.

Potius La Rochii (p. 66) sententiam praefero pleraque huius orationis ab Astymede ipso re vera in senatu dicta esse declarantis. Nam cum originem Rhodiam orationis manifestam esse, tum satis multa propria extare in ea existimo, quibus aperte a ceteris Rhodiacis seiungatur. Quomodo vero Polybius hanc orationem nactus sit, utrum ex tabulario Rhodio an Romano an alio quodam, utrum ex Zenonis historia an alio ex libello, hoc pro certo indagari posse non reor.

Eis quoque verbis, quibus oratio circumdatur, auctor Rhodius monstratur, cum quae senatus de eadem re egerat, brevissime absolvantur (7, 19—20), quanquam ea etiam multo graviora erant quam oratio legati Rhodiorum. Neque foedus a Romanis *πρὸς Ῥοδίους*, sed a Rhodiis *πρὸς Ῥωμαίους* fit (7, 20); quae verba ad fontem perspiciendum satis magni momenti sunt; itaque coniecturam anonymi[3]) proponentis *πρὸς Ῥοδίους* improbo.

---

1) quod Scala, p. 267, credidisse videtur.
2) p. 215, adn. 1, et p. 245, adn. 3.
3) Philol. Anzeiger, 1869, p. 93.

Significatio civitatis Rhodiorum sollemnis saepissime in titulis occurrit haec: ὁ δᾶμος ὁ Ῥοδίων[1]). Simillime Astymedes hac in oratione creberrime[2]) usus est verbis ὁ δῆμος (scilicet ὁ Ῥοδίων). Etiam nonnulla alia orationem genuinam esse docent: abest omnis ars oratoria; Astymedes, qui fortasse mercator dives putandus est, numeris sobrie et sicce computat, quot detrimentis Rhodus simultate Romae affecta sit[3]); quin, quo virum illum optime depingi puto, legatus magis dolet, quod Rhodii reditus amiserint quam quod libertatem (7, 16). Ut virum Rhodium decet, orator peritissimum se praestat rerum a Rhodiis gestarum; nonnulla, quae obiter commemoravit, hoc uno loco memoriae tradita sunt, ut XXXI 7, 4: Rhodiis tria bella in continente gerenda fuerunt; 7, 6: Caunum ab Aegyptiis emerunt, Stratoniceam ab Antiocho adepti sunt.

Quare cum non satis constet, utrum Polybius XXXI 7 Zenone usus sit necne, XXXI 1 anni 165 locus ultimus est, quo certo hic scriptor Rhodius indicetur. Studium et amor Rhodiorum, quibus Polybii historia praecedentibus inprimis libris quasi perfusa est, subito evanuerunt. Una tantum mentio postea invenitur, quae fortasse Zenoni attribui potest (Pol. XXXI 15), ubi sicut antea res ad Rhodum spectantes satis diligenter enarrantur. Quod si Zenonicum esse concesseris, hoc conicere certe licet finem operis scriptoris Rhodii fuisse gratiam inter Rhodios et Romanos reconciliatam anno 164/63.

16. De Rhodiacis Polybii Postzenonicis.

Iam ea quae statim nullo intermisso spatio sequuntur (Pol. XXXI 16) vehementissime differunt ab eis quae antecedunt. Cum enim adhuc scriptor multus fuerit in rebus gestis Rhodiorum exponendis — legas bella navalia annorum 201 et 190 —, hic eae tam breviter absolvuntur (16, 4), ut

---

1) videas Hilleri de Gaertringen, CIRh., indicem 'senatus et comitia'.

2) Pol. XXXI 7, 5; 7, 7; 7, 10; 7, 13; 7, 14; 7, 16; 7, 18.

3) Pol. XXXI 7, 4; 7, 6; 7, 7; 7, 8; 7, 9; 7, 10; 7, 12.

brevius absolvi non posse censeam. Quae cum ita sint, hunc locum a Zenone alienum esse iudico.

At dixerit fortasse quispiam apud Polybium XXXI 25, 2 Zenonis vestigia rursus apparere, quippe quo loco muneris ab Eumene Rhodiis dati ratio accuratissima habeatur. Sed cum inde ab anno 163 nusquam alibi notae Zenonicae reperiantur, hoc loco Valetonis (p. 215, adn. 1) sententiam comprobo, qui haec ex tabulario Rhodiorum hausta esse disseruit; eamque vel eo fulciri reor, quod ex anno 155 quoque[1]), cum de Zenone iam ne cogitari quidem potest, tamen index longus donorum servatus est Rhodiis a regibus missorum. Quare vel hoc ex argumento etiam alias eiusmodi tabulas, ex. gr. Pol. V 88, 4—90, 2 et IV 56, 3 non Zenoni deberi sed a Polybio ipso ex prytaneo Rhodio sumptas esse coniciam.

Apud Polybium XXXI 25 non Zenonem subesse praeterea hac ex causa apparet, quod Rhodii ob rem minutissimam reprehenduntur[2]). Id autem eo magis mirandum est, quod bello Persico permulta stulte facta eis nusquam a Polybio crimini data erant. Atque scriptor ipse conscius esse videtur se parum sibi constare; itaque hic non prorsus aperte, sed furtim et timide eos vituperat (XXXI 25, 1): *βραχὺ παρώλισθον.* Postea eos multo gravius incusavit.

Toto libro XXXII, quo temporis spatium inde ab anno 161 usque ad annum 155 continetur, Rhodus semel tantum, obiter tangitur (XXXII 4, 3).

Neque in libro XXXIII reliquias Zenonicas indagabis, quanquam Rhodus saepius commemoratur, cum Rhodiis illa aetate bellum perniciossimum cum Cretensibus fuerit. Attamen Zenone deficiente nusquam res illae clarius perspici possunt[3]). Paulo uberius ea tractantur XXXIII 16, neque vero aliam ob causam, nisi quia apud Achaeos gesta sint, Polybioque auctores Achaei praesto fuerint[4]).

Ubicunque Polybius ea aetate res Rhodias paulo verbosius tractabat, semper eos irrisione acerbissima persequebatur; ut

1) apud Diodorum XXXI 36; cf. Nissen, p. 110 sqq.
2) Cf. Schneiderwirth, Gesch. v. Rhodos, p. 233, adn. 94.
3) Pol. XXXIII 6, 7; 13, 2; 15, 3.
4) Cf. Valeton p. 211.

Pol. XXXIII 4 = Diod. XXXI 37: Aristocrates Rhodius cum nummo adulterino comparatur; et Polybii ipsius verba illa esse manifestum fit hoc loco cum alio quodam Polybiano (XXIX 17, 2) collato; utroque enim eadem fere verba leguntur; XXIX 17, 2: *καθάπερ τὰ κίβδηλα τῶν νομισμάτων εἰς τὸ πῦρ*, et XXXIII 4, 3: *εἰς πῦρ καθάπερ τὰ κίβδηλα τῶν νομισμάτων.*

Deinde Polybius (XXXIII 17 = Diod. XXXI 43) Rhodios quasi homines aegrotos esse voluit a medicis deploratos, qui de salute paene desperantes ad quaelibet curationis miracula confugissent. Naves Rhodiorum magnae (Diod. XXXI 38) cum ursis inhabilibus et tardis conferuntur, cum Cretensium navigia parva quasi canes venatici agiles sint; vix credibile videtur eundem auctorem hic tam contemptim Rhodiorum mentionem fecisse[1]), qui antea eos summis laudibus extulit. Inde ab hoc temporis momento vero Rhodii evanescunt neque apud Polybium in libris inde a tricesimo quinto usque ad finem repeririuntur, neque apud ceteros scriptores rerum veteres ante bellum Mithridaticum (anno 88).

Ad finem perveni; Zenonis igitur reliquiae apud Polybium extant intra libros IV—XXXI; neque antea neque postea eius vestigia investigari possunt.

III.

Appendices.

1. De nominibus quibusdam Rhodiorum apud Polybium obviis.

a. *Ἀγησίλοχος*. Apud Polybium XXVII 3, 3 huius viri nomen diversum in modum traditum est, cum in Monacensi 267 (N) esset: *ἀγησίλοχος*, in Ursini codice de legationibus: *γησίλοχος*; apud Livium autem XLII 45, 3 extat forma: Hegesilochus; quam Ursinus in textum Polybianum intulit: *Ἡγησίλοχος*. Contra Hultsch iterum Monacensis lectionem restituit: *Ἀγησίλοχος*.

1) Etiam apud Diodorum XXXI 44 scriptorem (Polybium nimirum) in Rhodiis offendisse Dindorf animadvertit.

Hultsch nomen illud cum spiritu leni scripsit, etiam Bruell[1]; atque Ahrens[2]) quoque ἀγησι- adhibendum esse censuit. Altera ex parte Hiller de Gaertringen (CIRh.), van Gelder[3]), Fick et Bechtel[4]) ἁγησι- praeferunt. Hoc tamen constat de littera α in initio nominis dubitandum non esse; quod etiam ex titulis confirmatur. In inscriptionibus Rhodiis enim Ἡγησίλοχος utique non occurrit, Ἀγησίλοχος autem saepius[5]); huc accedit quod etiam alia nomina simillima saepissime leguntur, ex. gr. Ἀγησαγόρας, Ἀγήσανδρος, Ἀγησιάναξ et permulta alia.

Casu quodam etiam patris Agesilochi nomen a Polybio proditum est (XXVIII 16, 5): Ἀγησίλοχος Ἡγησίου. At forma Rhodia huius nominis nimirum Ἀγησίας erat; quae legitur in CIRh. 359, titulo saeculi a. Chr. n. alterius; quod autem etiam Ἡγησίας CIRh. 1309 invenitur, nullius momenti est, quandoquidem haec inscriptio mercatoris est aetatis incertae. Quare viro illi hoc erat nomen: Ἀγησίλοχος Ἀγησίου.

b. Ἀκεσίμβροτος. De ratione, qua hoc nomen scribendum sit, Polybius et Livius dissentiunt, cum ille habeat (XVIII 1, 4; 2, 3): Ἀκεσίμβροτος, hic (XXXI 46, 6; 47, 2; XXXII 16, 6): Agesimbrotus. Neque titulorum auxilio haec discrepantia tolli potest; nomen enim hoc bis in CIRh. invenitur, atque altero quidem loco (766 A 3) forma Polybiana: Ἀκεσίμβροτος, altero (46, 313) forma Liviana: Ἀγησίμβροτος.

c. Ἀριδείκης. Apud Polybium IV 52, 2 codicibus traditum est: Ἀριδίκης, quod Dindorf in editione sua in Ἀριδείκης mutavit, nullis tamen argumentis additis; sententiam tamen suam in Stephani thesauro defendit, s. v. Ἀριδίκης, provocans ad titulum Rhodium quem postea etiam Hiller de Gaertringen, CIRh. 766, publici iuris fecit. Tamen in titulo illo Ἀριδείκης non re vera legitur, sed Keilii tantum coniectura (vv. 13 et 14)

---

1) Ueber den Dialekt der Rhodier, p. 7.

2) De dialecto Dorica, p. 38.

3) Mnemosyne XXIV, p. 78.

4) Griechische Personennamen, p. 135.

5) CIRh. 49, 5; 730, 3 et 28; 761, 16; praeterea nuperrime Hiller de G. (Mitt. a. Ath. XXI 57) notam eponymi edidit, in qua illud nomen invenitur.

scriptum est. Melius forma Ἀριδείκης fulcitur Philodemi indice Herculanensi academicorum philosophorum[1]), ubi memoratur Ἀριδεί[κης] ὁ Ῥόδιος. Quod eiusdem philosophi nomen apud Plutarchum (Conviv. II 1, 12) et Athenaeum (X p. 420[d]) in Ἀριδίκης corruptum est, nil valet.

d. *Δείνων.* Hoc quoque nomen a librariis corruptum erat[2]), cum Monacensis 267 (N) habeat: δίδωνα; Ursinus: Δίνωνα. Forma iusta a Schweighaeusero iam restituta etiam in titulo quodam Rhodio est (CIRh. 184).

e. *Εὔδαμος.* Polybius (XXI 10, 5) exhibet: Εὔδημος, Livius (XXXVII 12, 9; 22, 3) Eudamus. Nissen (p. 137 adn. 1) iure formam Livianam praetulit, cum Εὔδημος a librariis vel ab excerptoribus depravatum esset. Quae sententia viri docti aliquot[3]) titulis Rhodiis confirmatur; quibuscum comparatae duae aliae nil valent, quibus Εὔδημος legitur (CIRh. 1019 et 1042); illae enim non ex Rhodo ipsa originem ducunt, sed altera Carpathi, altera Sari inventa est. Rhodios in voce δᾶμος litteram α usque ad imperatorum Romanorum tempora servasse apparet ex permultis titulis; cf. etiam libellum Bruellii[4]).

f. *Κλειωναῖος.* Κλειωναῖος (Pol. XVI 9, 1) legitur in codicibus FS (Urbinas 102 et codd. rec. ex Urbinate derivati); quod Scaliger in Κλεωναῖος mutavit. At fortasse lectio codicum retinenda est, cum in titulis Rhodiis Κλεωναῖος omnino desit, Κλειωναῖος autem legatur, quanquam non de Rhodio quodam dictum, sed de viro Salaminio (CIRh. 63, 3).

g. *Νικαγόρας.* Nicagoram, quem Polybius XXVIII 2, 1 inter legatos anno 169 Romam missos enumeravit, Hiller de Gaertringen[5]) eundem virum esse vult atque eum qui quater

---

1) Buecheler, Index lectt. Gryph. 1869/70.

2) Cf. Pol. XXVII 7, 4 et saepius.

3) CIRh. 764, 74; praeterea Mitt. a. Athen XXI 57; Inscr. Graec. Sic. et Ital. 2393, 241—248; CIG. III, praef. p. IX 216—218. In titulo Prienensi (IMB. III, n. 403) v. 4 inter arbitros Rhodios hic occurrit: Ἀγήσανδρος Εὐδάμου.

4) Ueber den Dialekt der Rhodier, p. 7.

5) Archaeol.-epigr. Mitt. a. Oestr. XVI 102 sqq. et 247 sqq.

στραταγὸς ἐπὶ τὸ πέραν[1]) erat. Quam coniecturam speciosi aliquid et grati habere nemo infitiabitur; neque hoc displicet, quod vir doctus Nicagoram inde ab anno 201/200 usque ad annum 198/197 uno tenore praefecti Peraeae munere functum esse proposuit. Neque tamen obliviscendum est haec coniectura mera Hillerum assecutum esse, cum per se Nicagoras etiam postea praefectus in illis regionibus esse potuerit, ex. gr. post bellum Syriacum Rhodiis bella gravissima in Asia gerentibus. Itaque hac de re dissentio cum Hillero, quod verbis hisce (CIRh. 1036, 8): ἀνακτησάμενος τὰν Πισυῆτιν χώραν κτλ. testimonium certum contineri voluit inde a quo tempore Rhodiis possessiones in Asiae continente fuissent (cf. p. 45).

h. Φιλοκράτης — Φιλόφρων. De Leutsch[2]), ut apud Polybium XXX 5, 1 Φιλόφρονα pro Φιλοκράτην supponeretur, suasit: nam legationem priorem, cuius princeps Philocrates erat, iam antea domum rediisse opinabatur, quandoquidem XXX 4 nulla eius ratio haberetur. At Leutschium locus alius item Polybianus fugit XXX 22, 4, quo disertis verbis Philophronem anno 166 Rhodum rediisse narratur; ideo idem vir non iam anno 167 domum abiisse potest.

Haec autem ratio inter legationes Rhodias illis annis Romam missas intercedit (Pol. XXX 4, 1): duae legationes Rhodiorum Romae versantur: principes erant prioris Philocrates, alterius Philophron et Astymedes. Quas res Philocrates Romae gesserit, nescimus; hoc solum constat eum adhuc Romae fuisse, cum altera legatio eodem venisset. Quid haec altera legatio Romae egerit, Polybius copiose narrat (XXX 4); deinde legatio prior Rhodum profecta est, ubi de rebus utriusque legationis referret; altera legatio Romae remansit (XXX 5, 1). Iam Rhodii tertiam legationem miserunt principe Theaeteto (XXX 5, 4); postquam haec in senatum prodiit (XXX 22, 1—4), altera domum rediit, ut rerum et suarum et legationis tertiae rationem redderet.

Liv. XLV 25, 5 neglegenter Philocratem et Astymedem unius legationis esse contendit. Quod vitium ideo commisisse

1) CIRh. 1036; 202; cf. etiam titulum Cedraeum, arch.-ep. Mitt. a. Oestr. XVI 103.

2) Gött. Gel. Anz. 1855, p. 263.

mihi videtur, quia ea, quae praecedunt, ex annalibus hausit atque ad Polybium inde a XXX 5, 1 demum rediit. Ex illo loco Polybiano autem facile falso concludere potuit Philocratem et Astymedem principes eiusdem legationis fuisse.

i. *Θεαίδητος*. Apud Polybium Rhodius ille scribitur: *Θεαίτητος*, uno excepto loco XXIX 11, 2, quo in Monacensi 185 (0^1, prima manus) extat: *Θεαί^{δη}τον*; praeterea Livius XLV 25, 7 eundem virum nominavit: Theodotum, quam tamen formam Ursinus Polybio teste usus in Theaetetum commutavit.

Ego quidem veri duco simillimum Polybium nomen illud scripsisse: *Θεαίδητος*, quod tamen postea secundum scribendi morem vulgarem plerisque locis in *Θεαίτητος* corruptum est; obscura tantum vestigia litterae *δ* codicibus et Polybii et Livii servata sunt. Hoc certe negare non poteris Rhodios nomen illud scripsisse *Θεαίδητος*; cuius usus Rhodiorum proprii permulta exempla in titulis extant[1]); prae hac multitudine testimoniorum nil valet unum illud litterae *τ* exemplum (CIRh. 1135, 2); quod optimo iure Hiller de Gaertringen vitio lapicidae irrepsisse affirmavit; etiam Fick et Bechtel[2]) formam *Θεαίδητος* apud Rhodios in usu fuisse agnoscunt. Iniuria autem van Gelder[3]) litteram *τ* defendit atque retinuit propterea, quod Polybius ea usus esset. At hac in re codicum Polybianorum fidem fere nullam esse iam saepius vidimus.

k. *Θευφάνης*. *Θευφιλίσκος*. Apud Polybium XXXIII 16, 1 *Θεοφάνης* et XVI 4, 6 etc. *Θεοφιλίσκος* leguntur. In inscriptionibus Rhodiis nusquam forma *Θεο-* tradita est, sed ubique *Θευφάνης* (CIRh. 9; 46; 49; 305; 766; 1141); eodem modo etiam *Θεύδωρος*, *Θεύδοτος*, *Θεύπομπος*, *Θεύφιλος*[4]). Quare etiam nauarcho Rhodiorum nomen fuisse statuo non *Θεοφιλίσκος*, sed *Θευφιλίσκος*.

---

1) CIRh. 75, b, 7; 163; 761, 37; 852, 2; 1135, 1; 1135, 3—6; praeterea Inschr. v. Perg. II, p. 461, n. 1022—1031; Inscr. Graec. Sic. et Ital. 2393, 274—277.

2) Griechische Personennamen, p. 47.

3) Mnemosyne XXIV, p. 180.

4) Bruell, Ueber den Dialekt der Rhodier, p. 12.

2. De navium Rhodiarum generibus.

Rhodii paucis tantum triremibus utebantur; longe maxima pars classis saeculo tertio usque ad bellum cum Philippo rege gestum ex quinqueremibus constabat; post pugnam ad Laden commissam a. 201 nusquam quinqueremium Rhodiarum mentio fit, saeculoque altero pleraeque naves Rhodiae quadriremes erant. Quod facillime hac ex tabula cognoscetur:

Pol. V 89, 1 post terrae motum Ptolemaeus Rhodiis dono dedit *ξύλα ναυπηγήσιμα δέκα πεντήρων καὶ δέκα τριήρων*, et Seleucus (V 89, 8): *πεντήρεις δέκα κατηρτισμένας*. In pugna ad Chium commissa in tota classe Attali et Rhodiorum non plures quam tres triremes erant (Pol. XVI 2, 10); deinde XVI 5, 1: *τρεῖς πεντήρεις τῶν Ῥοδίων*; XVI 5, 4 tres quinqueremes Rhodiae, ex quibus una iam antea (5, 1) commemorata. XVI 7, 4 Rhodii illo proelio amiserant *δύο πεντήρεις καὶ τριήρη*, ex quibus una quinqueremis iam supra occurrit (5, 4). Etiam in pugna Ladensi Rhodii quinqueremibus pugnabant (XVI 15, 1; 15, 5)[1].

Inde ab anno 200 autem quinqueremes Rhodiae prorsus evanuerunt; pro quibus quadriremes in usu erant: XVI 31, 3: *τὴν τετρήρη τὴν τῶν Ῥοδίων*, anno 200. Liv. XXXI 16, 7: quadriremis una. XXXI 22, 8: tres Rhodiae quadriremes. XXXVII 13, 11: duae Rhodiae triremes. XXXVII 14, 3: duae quadriremes. XXXVII 14, 4: duae Rhodiae quadriremes (diversae ab antecedentibus). XXXVII 16, 1: quattuor quadriremes Rhodiae. XXXVII 16, 3: tres quadriremes. XXXVII 23, 4: Rhodiorum duae et triginta quadriremes et quattuor triremes (a. 190). Pol. XXVII 7, 14: *τετρήρεις ἕξ* (a. 171). Liv. XLII 56, 6: quinque Rhodiae quadriremes. Pol. XXXIII 13, 2: *πέντε τετρήρεις Ῥοδίων* (a. 154)[2].

Sullae aetate demum iterum una quinqueremis Rhodia memoratur apud Appianum (Mi. 25); Pompei aetate de triremibus Rhodiis legitur (App. bell. civ. II 83; 89).

---

1) Quae cum ita sint, Polyaenum (V 17, 2) de anno 203 non satis accurate dicere existimo: *τρισκαίδεκα νεώσοικοι διεφθάρησαν καὶ ὅσαι τριήρεις ἐν αὐτοῖς*.

2) Hoc loco vulgo legebatur: *τριήρεις*; Dindorf correxit *τετρήρεις*.

3. De pugna ad Chium commissa.

Non satis perspicua ratione Polybius in pugna ad Chium commissa describenda usus mihi videtur; atque hoc potissimum obiter inspicienti paene obscurum erit, quo ordine classes instructae fuerint.

Ac primum quidem hoc certe constat Attalum et Rhodios in euripo, qui inter Chium et continentem est, a septentrionibus stetisse, Philippum autem a meridie[1]). Haec plane dilucida esse non nego; multo autem minus clara ea sunt, quae Polybius de cornibus classium disseruit, quod iam ex exemplis cognoscetur: XVI 2, 2—4: Philippus subito profectus per euripum, qui est inter Chium et Asiae continentem, navigavit Samum; cornu sinistrum igitur ab latere Asiatico stetit. Hostes regem persecuti sunt, ita ut Attalus esset ab cornu Asiam vergente, Rhodii ab latere Chium spectante: Attalus igitur sinistrum, Rhodii dextrum cornu tenebant. Nonne plane contraria Polybius (XVI 2, 7) docet?: *Ἄτταλος μὲν τῷ δεξιῷ καὶ καθηγουμένῳ τῶν πολεμίων, Θεοφιλίσκος δὲ τοῖς εὐωνύμοις· οἱ πολέμιοι* igitur Attalus aut Rhodii nulla ratione esse possunt; neque Macedones ea acie, qua adhuc instructi eadem via atque hostes navigabant. Verba illa tunc demum Macedonibus apta sunt, postquam naves converterunt, quod postea tantum fecerunt (XVI 2, 8). Eadem ambiguitate scriptor utitur in ipsa navium conversione narranda (XVI 2, 8): *Φίλιππος — δοὺς τὸ σύνθημα τοῖς ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ.* Quod cornu, quia adversus Attalum erat[2]), adhuc quidem utriusque classis sinistrum erat atque conversione navium demum perfecta cornu dextrum Macedonum factum est.

Conversione autem in utroque cornu Macedonum confecta (XVI 2, 8), scriptor iusta cornuum nomina usurpavit. XVI 5, 8

---

1) videas XVI 2, 4: Philippus Samum versus navigat. 2, 8: *Φίλιππος — ὑπὸ τὰς νησῖδας ἀναχωρήσας — τὰς μεταξὺ τοῦ πόρου κειμένας*; eas insulas intellegendas esse reor, quae sunt inter Argennum et Posidium promunturia (v. Kiepert, Atlas von Hellas, tab. IX). XVI 6, 5: Attalus Erythras effugit. XVI 6, 13: Rhodii ad Chium (urbem nimirum) classem constituunt. XVI 8, 2: Philippus apud Argennum promunturium est.

2) XVI 3, 1: *λαβούσης δὲ τὴν καταρχὴν τῆς ναυμαχίας ἐκ τῆς Ἀττάλου νεώς.*

cavendum est, ne verba *κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν* coniungantur cum antecedentibus; spectant potius ad ea, quae sequuntur; quare non 'cornu, quod ab initio dextrum fuerat' vertendum est, sed 'hoc cornu prope Asiae litus erat, sicut ab initio Philippi consilium fuerat' (cf. XVI 2, 4).

4. De bellis a Rhodiis post pacem Syriacam in Asiae continente gestis.

De illis bellis uberius disseruerunt Flathe[1]), Schneiderwirth[2]), Treuber[3]). Flathe in eo erravit, quod duo tantum bella distinxit, testimonii Polybiani ratione non habita huiusce (Pol. XXXI 7, 4): *Λυκίαν καὶ Καρίαν ἀπολωλέκασιν* (scilicet Rhodii) — *τριττοὺς πολέμους ἀναγκασθέντες πολεμεῖν αὐτοῖς.* Schneiderwirth, cum bellum anno 167 in continente gestum (cf. Pol. XXX 5, 11—16) neglexisset, iam anno 178 duo bella priora confecta esse voluit, ut tria bella efficerentur. Treuber in universum Schneiderwirthium secutus bellum anni 167 propterea omisit, quod cum Caribus gestum esset; opinabatur enim tria illa bella ad Lyciam solam pertinere; at Polybius diserte (XXXI 7, 4) dixit Rhodiis cum Lyciis et Caribus tria bella fuisse.

Cum etiam in minoribus rebus quibusdam a viris doctis discederem, hanc mihi rationem bellorum constitui: inde ab anno 187, quo Lycia et Caria Rhodiis datae sunt, usque ad annum 167, quo oratio illa (Pol. XXXI 7, 4) habita est, tria bella gesta sunt. Ex simultatibus, iam ipso anno 187 ortis (Pol. XXII 5) mox bellum conflatum esse existimo. Multis laboribus Rhodii Lycios in dicionem suam redigere studuerunt (Pol. XXII 5, 5): *στάσις καὶ διαφορὰ τοῖς Λυκίοις πρὸς αὐτοὺς τοὺς Ῥοδίους οὐκ εὐκαταφρόνητος.* Quibus ex verbis concludere licet per aliquot annos illud bellum primum continuatum esse. Itaque etiam anno 181 idem bellum significari probabile est (Pol. XXIV 9, 13); Rhodii enim, cum soli Lycios perdomare non possent, ab Eumene auxilium petiverunt; nempe

1) Geschichte Macedoniens II 540 sq.
2) Geschichte der Insel Rhodos, p. 108—111.
3) Geschichte der Lykier, p. 159—166.

apparet Rhodios antea omnia expertos esse, priusquam regem adirent. Eumene autem iuvante Rhodiis tandem contigit, ut Lycios subigerent, quod anno 178 confectum esse Polybius affirmavit (XXV 4, 2).

Decreto vero Rhodiis iniquo, quod Xanthii, cives Lyciae oppidi, ab senatu anno 177 impetraverant, effectum est, ut tumultus modo discussus et sedatus denuo exardesceret (Pol. XXV 4, 3 et 5, 3). Anno 174 alterum illud bellum nondum finitum erat (Liv. XLI 25, 8); inde autem quod Livius Lycios a Rhodiis eo anno vexatos esse narravit, res Lyciorum tunc male se habuisse colligo. Hoc bello altero Eumenes Rhodiis infensus Lycios adiuvisse videtur (Liv. XLII 14, 8). Schneiderwirth iniuria Eumenem iam bello primo ante annum 178 cum Lyciis fecisse contendit; quod dilucet ex Polybio XXVII 7, 5, anni 171: *ὑπαρχούσης γὰρ τοῖς Ῥοδίοις ὑποψίας καὶ διαφορᾶς πρὸς τὸν Εὐμένη, πάλαι μὲν ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Φαρνάκην — μικροῖς δ' ἀνώτερον χρόνοις ἐκ τῶν Λυκιακῶν ἀναξαινομένης τῆς διαφορᾶς.* Cum Pharnace[1]) autem Eumeni bellum erat annis fere 183—179; quodsi de illo bello vox *πάλαι* usurpatur, verba *μικροῖς δ' ἀνώτερον χρόνοις* non item ad aetatem ante annum 178 spectare possunt, sed brevi ante 171 Rhodiis cum Eumene illa discordia Lyciorum causa fuisse debet. Quando vero illa altera seditio finita sit, ignoramus.

Bellum tertium cum Caribus solis anno 167 gestum est (Pol. XXX 5, 11—16).

Itaque hac ratione bella tria discribenda esse censeo:

1) annis 186 fere — 178.
2) 177—174 vel paulo diutius.
3) 167.

---

1) Cf. Pol. XXIII 9, 1; XXIV 5; XXV 2.

Tabula argumenti.

Vita auctoris.

Natus sum, Karl Hermann Ullrich, Cygneae a. d. VI. Kal. Dec. anni 1873 patre Wilhelm, matre Lina e gente Haertel, quos acerbitate fati mihi praereptos esse valde doleo. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum elementis quattuor per annos imbutus anno 1884 receptus sum in gymnasium Cygneense, cui primo Erler deinde Gerth praeerant. Vere anni 1893 maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut stipendia mererem. Militis officio absoluto Friburgum Brisgoviae transmigravi, ubi me docuerunt viri doctissimi Hense, Kluge, Michael, Reckendorf, Rickert, Steup, Studniczka, Weiſsenfels. Per sex menses ibi versatus hanc almam litterarum sedem Lipsiensem adii studiisque incubui philologicis. Atque instruxerunt me viri clarissimi de Bahder, Brugmann, Cichorius, Gardthausen, Heinze, Holz, Hofmann, Immisch, Lamprecht, Lipsius, Ribbeck, Richter, Schreiber, Sievers, Wachsmuth, Wundt.

Fui sodalis ordinarius:
proseminarii philologi moderante Immisch per bis sex menses,
seminarii philologi moderantibus Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth per ter sex menses,
seminarii historici moderante Wachsmuth per ter sex menses, moderante Cichorius per bis sex menses,
proseminarii Germanici moderante de Bahder per bis sex menses, moderante Sievers per semestre spatium,
seminarii paedagogici moderante Richter per bis sex menses;
atque admiserunt me ad societates Lipsius per spatium semestre, Ribbeck et Cichorius per bis sex menses.

Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam semperque habebo; inprimis vero Wachsmuth et Cichorius, qui studia mea benevolentissime fovebant, pio gratoque animo prosequar.